NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
4 M
1
M
K. 331.
Digitized by Google

DE VESVVIANO INCENDIO,

ET DE

TERRAEMOTV CALABRIAE,

NVNTIVS

IN LVCEM ITERVM EDITVS.

Auctore

IVLIO CÆSARE RECVPITO

Neapolitano.

E SOCIETATE IESV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTOR. EMANUELE

ROMÆ, Ex Typographiæ Manelphi Manelphij. M.D.C.XLIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Hieronymus de Alexandro E ſocietate IESV Prouincialis In Prouincia Neapolitana.

CVM libellum de Veſuuiano Incendio à P. Iulio Cæſare Recupito Societatis noſtræ latinè conſcriptum, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint: nos, poteſtate nobis facta à Reu. admodum P. N. Generali Mutio Vitelleſco, facultatem, vt in lucem edatur, concedimus: ſi ijs videbitur, ad quos editio librorum ſpectat. Romæ. die 10. Apr. 1632.

Hieronymus de Alexandro.

19. 4. M. 1

EMI-

EMIN.MO ET REVERENDISS.MO
Dom. Meo Colendiſsimo

D. FRANCISCO
S. R. E. Cardinali
BARBERINO.

AVdet, Eminentiſsime Cardinalis, opella hæc ſuſtinere maieſtatem aſpectus tui: atque inter excurſiones flammarum exarata curſim, per plures menſes à me tenebris, quibus eam perpetuo deſtinaueram, inuoluta, lucem tandem à claritate tui nominis mutuatur, quam à Veſuuij flamma non hauſerat. Leniet acerbitatem materiæ, libello præfixa commemoratio benignitatis tuæ, atque amariſſimis deflenda lacrymis Apes tuæ gentilitiæ mellea dulcedine aſpergent, Nam illud inter tòt infortunia fortunatiſſimum contigit, quòd Veſu-

uiana flamma,quæ,vt olim,toti pæne Europæ vaſtitatem minitabatur, Vrbem planè non attigit. Vrbem appello, quæ Orbis terrarum caput,ac propè vna Orbis eſt. Arſit hoc incendio Campania:cinis vltra Italiam auolauit: fudit vndequaque Veſuuius nubes flammeas, dum interim Romæ,iuxta Amos vaticiniũ, ſtillant montes dulcedinem,& colles fluunt lac,& mel. Agnoſco Apes Romanorum collium regnatrices: agnoſco in Aureis Apibus aureos mores tuos, auro incendia nihil formidante, &, ſi flagret, exploratiore. Eadem erit, vti ſpero,fortuna libello huic auſpice Te,qui ad maxima natus, minima non aſpernabere. Nam diuinum quoque Numen,cui Solis cęlo lampas accenditur, cereas aris faculas non dedignatur.

Eminentiæ Tuæ

Seruus humillimus

Iulius Cæſar Recupitus.

DE

Digitized by Google

DE INCENDIO VESVVIANO NVNTIVS.

INCENDIVM Veſuuianum conſcribere, eiuſque cauſas inquirere, conſilium mihi eſt. Anno à noſtræ ſalutis exordio MD.C. XXXI. xvij. Kal. Ianuarias, imminente hora poſt Solis occaſum decima quarta, albeſcente iam die, ne famoſæ tragædiæ ſpectatores deeſſent, cùm viginti, & eo amplius terræmotus ea nocte præceſſiſſent, prima quædam futuræ calamitatis veluti tentamenta: mons Veſuuius duodecim à Chriſto nato, multò pluribus ab Orbe condito clarus incendijs, ex eo latere, quo per ſubiectam planitiem ad mare vergit, poſt bombi ſonitum, quaſi dato ſigno, flammam eructare cœpit, & cinerem. Cinis fumo, bitumine, aliaue materia picea permiſtus, iam in nubem concreuerat, quæ quò longius agebatur è monte, eò ſe latius porrigens, primò vt olim, teſte iuniore Plinio, in pini ſimilitudinem, tum in vaſtiſſimi effigiem montis excreuit quà hiantis in voragines, quà in antra, & cauernas recedentis introrſum, & prærupta rupium oſtentantis: vt mons montem peperiſſe videretur. Hic incredibili celeritate primam aëris regionem, nubeſque tranſuectus, Neapolim verſus, vrbem non procul à Veſuuio ſitam, vento impellente, ferebatur. Cumque globi cinerei, alij ex alijs perpetuò erumperent: montes videbantur aggeſti montibus; quaſi, iuxta Poetarum fabulas (quod in alio eiuſdem montis incendio ſub Tito ſuſpicatos fuiſſe ethnicos, tradit Dio) gigantes noua in Iouem bella inſtaurarent. Emicabant identidem inter offuſam caliginem fulgetra, lapidum ignitorum prænuncia; qui è fundo ſubmiſſi iactabantur in altum, ingenti boatu tonitrus imitante. Montem di-

Plin. iunior. epiſt. lib. 6. in epiſt. ad Tacitum.

Xiphilinus e Dione in Tito.

ceres fulminare, tonare, miſcere Campaniam, & non ſemel olim de cælo tactum fulmina in cælum retrudere. Interea vicina loca fumus obſedit, qui momento temporis Neapolim vſque delatus, adulta iam die, ita lucem eripuit; vt vrbs in vrbe media quæreretur, hoc vno non iniucundus, quòd periculi proſpectum adimeret. Oppidani Veſuuio propriores eò, vnde ſonitus acciderat, animis, oculiſque conuerſis, vt montem latè flammis relucentem, cinereos inter flammas vomentem turbines, fumoque opplentem omnia conſpexere: inopinato malo perculſi, & iam ſibi extrema imminere rati, deſertis laribus, raptimque aſportatis ijs, quæ cuique expeditiora caſus obtulerat, ſeſe in effuſam fugam dedere. Diffugiebant hac, illac, inter agreſtium turbam multi viri nobiles ſemiſopiti, ſeminudi, cum coniugibus, ac liberis, tanto impendentis mali pauore; vt à Sacerdotibus initinere obuijs publicè noxarum ſolutionem expoſcerent. Cardinalis Boncompagnus, Neapolitanus Archiepiſcopus, qui tum fortè commorabatur Herculani, quò ſe paucis ante diebus ob cæli clementiam receperat, eamque noctem inter terræmotuum iactationes, ac ſtrepitus planè inſomnem traduxerat; animaduerſo viciniore periculo ab igne, quàm quod ſibi à terra metuerat, pedes proripuit ſe ad littus, mox equo, dein ſcapha exceptus. qua celerrimè Neapolim appellens, ciues aſpectu montis iam territos, illico ad preces, ac vota conuertit. Princeps Caſtilionis Gonzaga, hoſpes apud Caſertæ Principem in pago, quem Porticus appellant, paganorum trepidatione comperta, ex diuturna febri adhuc æger valentiſsimè fugam arripuit, quandoque ingenti metu vires addente, quas leuior ſolet infringere. Erat hic in Siciliam nauigaturus ad abducendam coniugem, Katholicæ Principis filiam, niſi morbus importunè detinuiſſet. ſed, nondum tranſmiſſo freto, Aetnam in Veſuuio reperit, faces maritales ea flamma commutaturus; ni ſe opportunè diſcrimini ſubduxiſſet. Hunc mox ſecutus eſt Caſertæ Princeps Aquauiua, qui ſuorum vociferationibus excitatus, cùm muliebrem metum ſuſpicaretur, monitus vt aſpiceret, decerneretque; oblato per feneſtram montis aſpectu, ad quem expalluiſſet audacia, expiari ſe velle

le inclamauit. Quod vt à Sacerdote, qui tum fortè aderat, ritè, raptimque præſtitum eſt; ipſe cum ceteris Neapolim verſus contendit. Viſebantur refertæ fugientibus viæ, quaſi hoſtis vrgeret à tergo: & miſerabilis turba mulierum, infantibus appreſſis ad vbera, gradum celerare conantium, omnia luctu, ac terrore complebat. Hæc cum rerum facies inter initia ſurgentis incendij: hic, veluti amoto ſipario, primus fuit ſcenæ conſpectus, mox daturę tragœdiā nobis, ac poſteris lacrymabilem: quæ quaſi quinque concluſa actibus, inter damna innumerabilia, quinque terrores exhibuit.

Primus terror, terræmotus. *Præluſerat futuræ cladi paucis ante diebus* cœca quædam montis obmurmuratio; quæ à nonnullis nocturno ſilentio animaduerſa, neç vulgata, metu vel diſſimulato, vel ſpreto. Tum nocte, quæ incendium prægreſſa eſt, terræmotus identidem auditi, ſed tenues, quaſi leues quædam velitationes ante prælium. Demum, erumpente flamma, ingens fragor è cacumine montis acceptus. quem, tanquam tubę clangor pugnam prænunciaſſet terræmotus excepere adeo crebri; vt non multi, ſed vnus per dies multos, continenti ductus halitu videretur. Naturæ perpetuò ſolum, ſæpiſsime ſuccuſſari, frequenter etiam ſubſultare: idque ea quæ ſecuta eſt, nocte circa primam horam, & quintam; poſtridie circa decimam ſeptimam tanto impetu, vt vrbem ſuis diuellendam ſedibus putaremus: neque moueri tecta, ſed euerti. Nemo certè fuit pectoris adeo ſaxei, quin ſaxis, terraque trementibus contremuerit. Repente mutata facies vrbis: & iam, ſilente forenſi ſtrepitu, exaudiebantur clamores veniam, ac miſericordiam depoſcentium. Conuolauere pæne omnes ad eluendas confeſsione labes: neque ſolum confertiſſima fuere templa, ſed in foro etiam ſacerdotes petentibus aures dedere. Extortæ ſunt eo metu confeſſiones criminum, quæ longo, aut etiam toto vitæ decurſu pudor impudentiſſimus obſtinato ſilentio texerat. Vetuſtiſſimæ inimicitiæ depoſitæ: nefariæ amicitiæ reſectæ: concubinæ aut deſertæ, aut in coniuges commutatæ. Profectò nullus maior terror mortalibus, quàm è terræ concuſſione: dum ab ea ingruit bellum, quæ nos, vt communis parens, excipere ſolet, atque alere. Vnicum

 in

in ceteris malis præſtat illa perfugium . ſi fulſerit, ſi tonuerit, ſi fuerit quidpiam tactum de cælo; præbent valles, & antra ſecuritatem . ſi venti, ſi pluuiæ, ſi grando furit; aeris iniurias tecta defendunt . ſi flumina exundent; tuta eſt in ſicco ſalus . ſi mare deſæuiat; ad littora, portuſque confugitur . at, dum terra concutitur, quæ cetera ſuſtinet; ipſe ruinam minari videtur orbis terrarum ; &, quaſi fundamento lapſo, cuncta corruere. Admouemur etiam, nihil hic fixum, ac ſtabile reperiri; quando nutant immobilia, atque illud ipſum experimur inſtabile eſſe, in quo ſtamus. Periculo tamen huic minus patent campi patentes, ac liberi, quàm conſitæ tectis vrbes. nam qui degunt in campis, quamuis terra fluctuet, niſi dehiſcat, liberi ſunt ab omni pernicie. in vrbibus verò tecta ruentia habitatores vnà præcipites trahunt, & ſubeuntes ruinis opprimunt. Itaque, vt ad inſtitutam narrationem redeam, cùm, exacto iam die, aduecta nox planè illunis metum ſolitò ſpiſſioribus tenebris geminaſſet: commigrauere plerique ad apertam planitiem, quæ Neapoli latè funditur circa ſuburbia, atque vrbs in ſolitudinem, campi in vrbem tranſiere. Deſerebantur alta palatia ſerico, aulæiſque conſtrata. non hyemis aſperitas, non noctis inclementia, non venti, non pruina, non niues, non halitus aëris è vicina conflagratione grauior timebatur. victa hæc omnia metu maiore. Erecta per campos viris primarijs tentoria, quaſi aduerſus naturæ bella caſtramentatis. multi etiam, rhedis per campos, atque hyppodromis diſpoſitis ſternebantur, vehiculis itinerum in quietis domicilia commutatis. Quamquam quæ quies mortalibus eſſe poterat, cum quietem tellus ipſa dediſceret? Quotus enim quiſque fuit, qui noctes illas non planè vigiles duxerit, ſtrepitu excutiente ſoporem, & timore, quaſi tortore, vigilias imperante ad ſupplicium? Quòd, ſi quando ſomnus feſſis obreperet; mox territi excitabantur, inter ſomnia vanis ludente imaginibus, atq. animis obſtrepente metu. Plerique ad templa confugere quaſi, diuina inſectante iuſtitia, ad cõmune aſylum reorum: rati aduerſus naturæ inſultus non alibi ſe præſidium habituros, quàm apud conditorem, & moderatorem naturæ: nacti apud aras perfugium, ſi euaſiſſent;

tumul-

tumulum, ſi cecidiſſent. Ex hac tamen peſte damni minus illatum eſt, quàm terroris. Per duos dies terræ trepidatio perpetua, ſuccuſſus frequentiſſimi: quinque diebus conſequentibus terræmotus per interualla rariores: tandem iactatio reſedit: nulla Neapoli domus corruit: multæ concuſſæ, laxatis compagibus, rimas egere: Herculani, ne quid ibi ad cladem deeſſet, palatium Neapolitani Archiepiſcopi terręmotu aliqua ex parte collapſum eſt. Tanti ſtetit terror ſeptem dierum: & tam ingens terræmotum vis tam parua clade detonuit. Equidem crediderim hanc terræ, quam experti ſumus, iactationem non eidem cauſæ aſcribi debere, cui ceteri terræmotus. Eduntur fere hi à ſpiritibus calidis intra terræ cauernas occluſis, atque exitum molientibus, nempe indignatis, quadam ſe ignis cognatione ad celſiora loca natos, infernè quaſi carcere detineri; ideoque, vnà impetu facto, tentantibus clauſtra perfringere, atque euadere ad ſuperna. Quamobrem à ſpiritu, qui extra fluit, venti; ab eò, qui intra, terræmotus proficiſcuntur. Quod teſtatus eſt Ariſtoteles, cum dixit, *cauſam terræmotus eſſe ſpiritum, cum intro fluxerit*. Longè aliter hic dicendum exiſtimo: neque hanc terræ concuſſionem ſpiritibus deliteſcentibus, ſed flammis prodeuntibus tribuendam. Nam, quemadmodum in tormentorum exploſione, ignis exiliens ex anguſto, tanta vi aerem elidit; vt tormentum ipſum æneum ſponte reſiliat, & vicinæ contremant domus: ita ex anguſto montis hiatu perrumpentibus flammis, atque ingentis magnitudinis lapidibus magno impetu, quaſi è tormento pilis exploſis, tum monti circumfuſus aer, tum eiuſdem cauernis infuſus magno impetu collidebatur. Concuſſo monte, adnexa planities, vt loquuntur Philoſophi, *per conſenſum* contremuit, catenata quadam partium inter ſeſe inhærentium ſerie, nexuque. Eius rei argumento eſt, quòd vicina iactabantur, remotiora erant immunia: & quò longius ferebatur à monte; eò terræmotus tenuior, donec ſenſim euaneſceret. Huc accedit, quòd initio feneſtræ per totam vrbem, valuæque ſponte ſua quatiebantur, dum neque terræ vllus motus, neque ventorum vis vlla appareret, tanto inſolentis terrore ſpectaculi; vt iam terræmotus eſſet in votis.

Ariſt. lib. 2. meteor. c. 2.

Id

Id verò referri non poteſt, niſi in aërem concitum impetu, iactuque volitantium ſaxorum. Reſonabant etiam non rarò ingentes bombi, exploſioni tormentorum ſimillimi, quos mox terræmotus validiſſimi conſequebantur: vt hinc facilè appareat viciniora intremuiſſe, dum Veſuuius vi latentium flammarum ex anguſto foramine ſaxeas pilas extruderet; atque inuſitato naturæ miraculo in bombardæ locum mons cederet. Illud etiam animaduerſione dignum, *terræmotus*, teſte Ariſtotele, *plurimos, & maximos tranquillitate fieri* feriantibus ventis, ac ſilente Cælo, nempe ſpiritibus intra terræ viſcera digladiantibus. Hi verò *terræmotus plurimi, & maximi* contigere, ventis flantibus: quia ſcilicet non à ſpiritibus ortum duxerant intra terram luctantibus, ſed ab ijſdem ſeſe foras ex arcto efferentibus; cum faucium anguſtiæ impetum morarentur. Quamobrem intra paucos dies diſrupto monte, & laxata voragine, cuius nunc diameter ad mille fere paſſus protenditur, liberiore flammis exitu patefacto, terræmotus conquieuere. vnde etiam licet conijcere, Veſuuianum incendium maximo Dei beneficio eſſe adſcribendum; ſiquidem terræmotus, conflagrationum comites, leuiores eſſe ſolent, & citra ingentem ruinam. Nulla in maximo illo Veſuuij incendio ſub Tito ex terræmotu iactura: adeo vt ſenior Plinius, teſte iuniore, nutantibus tectis, altè, & ſecurè dormierit, halitu poſtea igneo ſuffocatus in littore. Sub Nerone verò, vt refert in libello de terræmotu Seneca, ob terræmotus, qui abſque vlla conflagratione contigere Veſuuio, magna Herculani pars, & Pompeij integri abſorpti. Quare, ſi pæne immenſa ſpirituum, & materiæ bituminoſæ copia, quæ iam perpetuò incineres, & fumum egeritur, ſubterraneis conſtricta ſpecubus, obſtructos aditus reperiſſet; facilè, quaſi per latentes cuniculos accenſo puluere tormentario, oram omnem Veſuuio finitimam, ipſamque Neapolim ſubruiſſet. Ita Vrbis regiæ incolumitas vnius montis ruina, & multorum oppidorum impendio coëmpta eſt. Hæc de terræmotu, qui Veſuuianæ flammæ comes, & primus vicinarum vrbium terror fuit.

Ariſt. lib. 2. meteor. c. 2.

Plin. iunior lib.6 epiſt.

Senec. in lib. de terramot.

Secundus terror, pluuia cinerum. Nam nubes illa, quæ, vt paulo ante diximus, è Veſuuij faſtigio inter incendij pri-

mordia ſe in ſimilitudinem montis erexerat, pæne momento temporis ventorum impulſu delata Neapolim, mox deſedit in cinerem. qui interdiu minutiſſimus, noctis acceſſu ſpiſſior, grauiorque decidit, frigore conſtipante partes terreas, eaſque ab igneis excernente. Poſtridie mane vt illuxit, apparuere omnia conſperſa cinere, tecta, ſolaria, viæ. Crederes, Vrbem ſoluto in cineres Veſuuio tumulum condidiſſe. Quanquam non Vrbis vna, ſed Orbis ipſe terrarum omnis anguſtiorem Veſuuiano cineri parabat vrnam. Pæne fidem excedit, quod dicam: ſed, qui veteres leget annales, multò etiam maiora reperiet. Eodem die, quo mons primùm ardere viſus, per pleraſque Neapolitani regni vrbes cinis depluit, Beneuenti, Baroli, Barij, Tarenti, Lupijs: quò nubes cinera, vigeſima ſecunda eiuſdem diei hora, peruenerat, octo dierum itinere totidem horis confecto. Nubes alia expeditior, ventis ferentibus, in Dalmatiam tranſmiſit, igneum globum, quaſi facem præferens, inter eam, quam vehebat, noctem ferali luce internitente, quæ periculum oſtentaret. Ignis aſpectum ſecutus eſt cinis, qui per diem integrum pluit Aſcriuij. Neque immunia fuere maria. Cinis excuſſus è nube, Ægæum prope texit horrendo ſpectaculo, fluctu inter cineres caneſcente. Nauibus incidens, à nautis exceptus, atque inter merces aſſeruatus, circumlatuſque oſtenti loco. Ex altera verò parte, quæ meridiem ſpectat, cinerem aduectum nouimus in Lucaniam, atque Stilum, extremæ Calabriæ oppidum, facilè hinc, traiecto mari, in Africam transfretaturum. Ridebunt profectò hæc poſteri, quæ nos flenda conſpicimus; vicemque nobis rependent, qui Veſuuianum cinerum pluiſſe Bizantij, quod Procopius, & alij referunt; traſuolaſſe in Africam, quod tradit Dio; *totam Europæ faciem contexiſſe*, quod refert in Chronico Marcellinus; denique *teſtimonio agnitum Vniuerſitatis*, vt loquitur in epiſtolis Caſſiodorus, numerebamus inter ſplendidiora mendacia. Nimirum hac poſtrema conflagratione vidimus per triginta ferè dies perpetuò cinerem è montis faucibus inhalari compactum in nubes, quas venti quotidie diuerſis commiſſas, in omnes Orbis partes immigraſſe credimus, quaſi eas vndequaque

Procop. lib. 2. de bello Gothico.
Dio in Tito.
Marcell. in Chron.
Caſſiod. variar. Epiſt. 50.

deſtinante Veſuuio, nuncias incendij, teſtes fortunæ ſuæ. Has tandem vento ſeneſcente deſtitutas, ac per diſſitas Mũdi plagas iam ſolutas in cinerem, propediem nuncios expectamus; vt non immeritò dixerim, Veſuuiano cineri vrnam eſſe Orbem terrarum. Quantos verò in ijs vrbibus, vnde litteras iam accepimus, prodigioſa ea pluuia motus animorum exciuerit, nemo facilè poterit aut cogitatione aſſequi, aut narratione complecti. Lupijs, duabus ante Solis occaſum horis, offuſa nox viſa eſt ſolito celerius maturaſſe. Subducta repente lux *nocturnis in die tenebris*, vt accidiſſe olim

Marcell. in Chron. in eiuſdem montis incendio, Marcellinus tradit. Cinis mox decidens, tactu potius, quàm viſu deprehenſus. Sanè maior ex inſperato metus. Nihil ciues de Veſuuij conflagratione audierant: nihil omnino ſuſpicabantur. Obſtupuere primùm: tum, admiratione in metum verſa, obriguere omnium animi: non quidem, vt olim apud ethnicos conti-

Dio in Tito. giſſe refert Dio, arbitrati omnia in fabuloſum Chaos reditura, ſed igneum diluuium elementa ſoluturum in cineres, & Mundo iam adeſſe ſupremum diem. Itaque hac, illac lymphati, & vix mentis compotes ferebantur. Vt verò ex inopinato metu ſpiritum collegerunt, ad flagitandam à Deo miſericordiam, ac veniam, omnium curæ, & cogitationes conuerſæ. Itur è veſtigio ad preces, ad ſupplicationes, ad vota. Interea nubes illa cinerea ita proſpectum oculorum abſtulerat; vt, dum ſacras per vrbem imagines circumferrent, comes comitem non videret. Quod Nolæ etiam, & alibi eueniſſe traditur, priſcis Ægypti tenebris denuo redditis, quando denuo in multis moralium cor veluti Pharaonis ob-

Dio in Tito. duruit. Idem planè in incendio ſub Tito contigiſſe narrat Dio. qui *occultatus*, inquit, *ſol non aliter, quàm ſi defeciſſet*. Cinis Lupijs vſq; ad quintã noctis horam pluuius tecta, viaſq; omnes oppleuit. Par Bario terror illatus, quò, quamuis ea vrbs multò propius à Veſuuio diſtet, quàm Lupiæ; cinis multò ſerius inuectus eſt, nimirum circa ſecundam noctis horam. Quid nocturnon potuit caligo illa fædiſſima, quæ noctem obtruſerat in diem? Nempe ad teterrimæ nubis aſpectũ tenebræ viſæ exhorreſcere, & nox ipſa nocteſcere. Secuta monſtra multò maiora. Pluit primò cinere, tum arena, po-

ſtremò

ſtremò ſulgine. Nox apud omnes precationibus, ac votis exacta, nocturno tumultu veros, vanoſque aggerãte metus. Illuceſcente die apparuere campi latè nigrantes, & quaſi pulla veſte contecti, Veſuuio quodammodo pareutaturi. Ferunt, cum omnes ad D. Nicolai confugerent, Sacerdotem quendam, accepta cryſtallina phiala, in qua manna è ſacris Nicolai oſſibus fluens aſſeruabatur, eo acrem aſperſiſſe, cui cinereus turbo inſidebat: hunc diſiectum mox aliò aduolaſſe. Scilicet eius liquorem, cuius patrocinio, vt canit Eccleſia, *à Gebennæ incendij liberamur*, tartareus cinis ferre non potuit. Baroli aliud quidpiam admirabilius contigiſſe traditur. Nam, cùm ciues in eodem metu, ac periculo verſarentur, & ſacram Euchariſtiam per plateas chriſtiano ritu circumgeſtarent; ſcribunt viri fide digni, ad ſalutaris hoſtiæ aſpectũ nubem luctificam refugiſſe: columbam præterea cuidam viſam neque turba, neque clamoribus territam, ante ſacra myſteria leuiter volitaſſe, ijſque in templum illatis, præ foribus conſtitiſſe, omen felicitatis. Certe, quas memorauimus vrbes, eæ leue hactenus à portentoſa pluuia detrimentum cæpere. timetur quidem campis, timetur frugibus, timetur ſegeti. Non defuere tamen loca, quibus cinis damnum creauit timore maius. Nolæ cinis tectis inſidens, tanto oneri fuit; vt lacunaria decubuerint: & multæ domus, muris hinc inde ſtantibus, cælo pateant, detecto vertice. Erat quippe cinis ille grauiſſimus, tantique ponderis, vt in cinere Montem agnoſceres. Vidi ego è diuerſis Apuliæ locis huc ad nos miſſum, quaſi ad inſpectandum prodigium: vbique pluerat onerofus, nempe lapidum flammis abſumptorum reliquię, ſpiſſus, ſub nigri coloris, illique ſimillimus, quo Chriſtianorum capita rite conſpergi ſolent, Sacerdote inſuſurrante, *Memento homo, quia puluis es*: vt, quando ad hominum voces obſurdeſcimus, montes ipſi diuino nutu vocales fiant, ſparſoque cinere noſtræ nos mortalitatis admoneant. Nuntiatum eſt etiam ex agro Melphitano pluiſſe ferro, ferreum teſtante ſeculum: pluiſſe etiam chalybe. Certè ciuis inde huc remiſſus, partes aliquas præferebat internitentes, & chalybi ſimiles. enimuerò armatus è cælo cadebat imber, quaſi cum hoſtibus dimicaturus, chalybe, ac

fer-

Digitized by Google

ferro bellum ferentibus, cinere funerum nuntio. Longè diſpar eius cineris conditio, quem primo incendij die Neapoli pluiſſe diximus. hic enim, vt animaduerterunt non pauci, continebat probatiſsimi argenti non parum, quaſi cælo argenteus imber efflueret, Ianuario Martyre metus, ac terrores populorũ in auſpicium nobis vertente felicitatis.

Tertius terror fuit pluuia lapidum. Lapidatum enim de cælo in modum creberrimæ grandinis non ſolùm Nolæ, & in oppidis Veſuuio vicinioribus; ſed etiam, quod magis mirere, in agro Melphitano. qui quidem quaſi in vmblico Apuliæ ſitus, diſtat ferè centum millibus paſſuum à Veſuuio. Vnde lapides exerti tanta copia, vt imbrem ſaxeum efficerent; tanta vi, vt procul etiam naturalis oblita ponderis auolarent. oppreſſere animantia ſub dio reperta: protriuere portas: perrupere muros: perfregere tecta; vt profectò lapidibus vi flammarum iactatis, quaſi tormentarijs pilis immiſſis, Mons vnus vrbes plurimas quatere, ac bello petere videretur. Neque tantùm pumicibus pluit, aduerſus quos olim, quia magno impetu concidebant, Plinius patruus, vt nepos refert, capiti ceruical impoſuit; ſed ſaxis etiam magnitudine planè immanibus. quorum vnum ferunt tantæ repertum molis, vt decem boum paria vix, aut vix quidem dimouere loco potuiſſent. Diceres non lapidem pluiſſe, ſed rupem. Fides eſto penes auctores. Conſonant tamen his ea, quæ refert Dio, dum dicit, ex hoc monte *immenſos lapides exilijſſe*. Concinnius rem eandem explicat Caſſiodorus, qui de Veſuuio loquens *Longe*, inquit, *lateque pulueres rotat: vicinis autem quaſdam moles eructat. Quis credat tam ingentes glebas vſque in plana deductas de tam profundis hiatibus ebullijſſe; &, ſpiritu quodam efflante, montis ore conſputas, quaſi leues paleas, eſſe proiectas?* Hactenus Caſſiodorus. Neque inconſultò Marcellinus addit, eundem Veſuuium *exuſta viſcera euomere*. Quippe non deſunt teſtes oculati quamplurimi, qui montem viderunt lapides ignitos eiaculantem. Hi, quocumque incidiſſent, ceteras inter clades noua miſcebant incendia, atque obluctantes arbores, Veſuuij dorſo imminentes, tum mole, tum flamma euulſas, atque incenſas, propellabant ad maria. Littora

Plin. in ep. loc. cit.

Dio in Tito.

Caſſiod. lib. variarum epiſt. 50.

Marcell in Chron.

ego

ego ipſe vidi pluribus in locis fumantia, ingentes truncos, ac ramos adhuc depaſcente flamma. Sunt, qui teſtantur, lapides in altum iactos quandoque in eaſdem moutis fauces, vnde prodierant, decidentes occurriſſe alijs eodem impetu ſubſilientibus tanta inter ſe colliſione, ac fragore; vt inde mugitus ille contigeret, quo identidem vicina omnia perſonabant. Vicina, dixi: addiderim etiam, remotiora; ſi res quam in ſuperiori æuo abſque exemplo reperio, repertura ſit apud poſteros fidem: Dicam tamen id, quod ideò ſolùm euenire potuiſſe credo, quia ſcio eueniſſe. Teate, & Adriæ in Samnio, Baroli, & Siponti in Apulia, Recineti in Piceno, Peruſij in Hetruria, &, vt poſtremi nuncij referunt, Aſcriuij in Dalmatia auditus eſt Veſuuij bombus adeo terrificus; vt Teatini è proximo monte Nicate (Maiellam vulgus indigitat) eiuſmodi fremitum accipi exiſtimarent. Barolitani verò ſedentes ad maris littora, ſimilitudine ſoni decepti, qui à tormentis æneis in pilarum iactu reddi ſolet, arbitrarentur aut nauali bello duas inter ſe claſſes in alto decernere, aut, quia è continenti ſonus accidere videbatur, vrbem aliquam ex improuiſo obſeſſam, tormentis peti. Dalmatæ etiam præmiſſis exploratoribus inſtruxere aciem, ac ſtrenuè comparauere ſe ad prælium. Alibi quoque ad arma conclamatum ab ignaris, cum monte eſſe bellandum. Huius rei teſtes habemus, quotquot eæ vrbes incolas habent. Olim *emugit Veſuuius*, vt teſtatur Procopius, *& proximos accolas ingenti formidine affecit*. Aliquando eiuſdem *tantos mugitus extitiſſe, vt Capuam vſque audirentur* vrbem, quæ à Veſuuio quindecim milliaribus diſtat, pæne miraculo vertit Xiphilinus. Veſuuij ſonus nunc ad trecenta milliaria auditus: dum ijs, qui propius aberant, non tam ſtrepere, quàm obmurmurare mons, & quaſi muſſare videretur. Sanè, quòd fragoris exaudiri potuerit in Apulia, ac Dalmatia, expeditior eſt ratio: quia venti eò è Veſuuio ſlantes, vnà cum nubibus cinereis conuexere ſonum. nam recta per aerem multò minus ſpatium intercipitur, quàm per ſola terrarum; vbi iter agentes, viarum anfractibus circumducuntur. Non eadem ratio eſt de Samnio, & Piceno: quò, ſi venti è Veſuuio mouiſſent; vnà cum fremitu cinerem

impor-

importaſſent, quod minime eueniſſe compertum eſt. An dum prope Veſuuium Apenninus in Samnium, ac Picenum continenti tractu montium ducitur, per latentes cauernas, & ſpecus altè defoſſas, ſibi inuicem reſponſantes ita fragor eſt ductus; vt mons monti ſonum, numeroſiore repercuſſu, Echo congeminante, redderet? An, quod vero videtur ſimilius, immenſa igneorum ſpirituum copia, quæ in Veſuuij viſceribus rixabatur, aliqua ſui parte per occultos terræ meatus ad Samnij, Picenique montes traducta, ibidem eodem tempore tumultuata, ſtrepitum edidit Veſuuiano ſimilem? An denique Mons tonitru ſonare potuit, qui rupibus pluerat? Certè, vndecunque id contigerit, res fuit admiratione digniſſima: tantumque ſonum inter naturæ miracula recenſendum, fama in æternitatem protendet. Hæc occaſione ſoni, quo mons immugijt in illa ingentium lapidum eruptione. quæ tertia lues, ac terror fuit in incendio Veſuuiano.

Quarta lues ac terror, torrens igneus. Portentum narro, cui fidem faciunt populorum clades, oppidorum ruinæ, camporum vaſtitas. Die Mercurij, qui ab ortu incendij alter illuxit multis mortalium, totique fere Campaniæ feralis, nobis ac poſteris luctuoſus, cum cinerum, pumicumque repetita pluuia, & crebri terræmotus terrorem ipſamet multitudine minuiſſent, multiſque aſſuetudo pæne ſecuritatem feciſſet: non pauci oppidanorum, quibus pecunia potior, quàm ſalus fuit, domos ad bona vel tuenda, vel recuperanda, rediere. Percrebuerat rumor, nec ſine ſuſpicione veri, fures eò aduolaſſe, vnde coloni deceſſerant, opportunitatem nactos furandi, non cinerum, non lapidum, non flammarum vicino periculo territos. à quorum vnguibus magis, quàm à Veſuuij faucibus bonorum depopulatio timebatur. Multi præterea cùm in extremo diſcrimine quiſque ſibi proſpiceret, in illo æſtu ſe à coniugibus, ac liberis querebantur auulſos; ad quos quærendos amor extimulabat, ſubituros eamdem fortunam, & commune periculum. Non pauci deſtituerant parentes, quibus ætate confectis animus, aut pes ad fugam defuerat: eoque pietas reuocabat, vnde metus deduxerat. Alios cura Larium, & ipſe neſcio qua perfuſus dulce-

dulcedine patrij cæli halitus alliciebat; cùm vel inter calamitates, & clades dulcis Ithaca ſit cuique ſua. Multos fames adigebat flamma vicinior, & durum telum, neceſſitas etenim per campos vagabantur palabundi, & extorres, cuſtodibus ad Neapolitanæ vrbis portas diſpoſitis, ne tanta multitudine agreſtium introducta (pluſquam decem millia ferebantur) annonæ charitas, & fames ciuibus importaretur. Quod poſtea decretum meliore conſilio mutatum eſt: dum plus ciuium ex vrbe terræmotuum metus deduceret, quàm eò aduenarum adduceret montis æſtus. Ergo, dum ab ijs, qui aditu prohibiti fuerant, alijſque non paucis, vt diximus, deſerta oppida repetuntur; & iam quiſque domi ſedet vicini ſpectator incendij, formidine pænè in voluptatem conuerſa: ecce tibi ſubitò ſub meridiem inter fumeos turbines cæca nox; quaſi recedente Sole ne Mundi oculus aſpicere cogeretur tot funera mox lucem ferens, quæ tenebras horrore vicit (incredibile dictu) torrens igneus è vertice montis exilijt, qui bitumine, ſulphure, cinere illitus per cliuum ſe ſummo impetu, parique fragore deijciens, in planitiem cœpit excurrere. Hic hæret calamus, horretque vel ipſam tantæ calamitatis memoriam. Recrudeſcit exulceratus ea commemoratione dolor: & iam libet magis flere, quàm ſcribere. Certè eo ipſo die, effuſa poſt ignes pluuia, viſum eſt ipſummet cælum noſtris cladibus illacrymaſſe. Itaque cùm largiſſimè ignis deflueret, atque horrendo ſibilo, quam meditabatur perniciem, minitaretur: oppidani vndique flammis obſepti, ſera intempeſtiui reditus pœnitentia, quæ loca fugerent, quæ vitarent incerti, hærere, trepidare, omnia luctu, & clamore miſcere. Exaudiebantur eiulatus mulierum, fletus infantium, vociferationes virorum: & cuncta ſono incondito, ac lamentabili perſonabãt; qualis eſſe ſolet in vrbe capta, dum hoſtis ferro, flammaque graſſatur. Multis timor conſilium, ac vires excuſſerat, animis, pedibuſque labantibus, inhibente metu fugam, quam ſolet imperare. Iam pallor ori ſuffuſus mortem præuerterat: nec defuere fortaſſe, quibus, obrigeſcente ſanguine, metus ipſe ſpiritum hauſit, quem mox flamma poſcebat. Multi tamen collegere ſeſe ad fugam. ſed profectò parua ſæpe mora

magna rerum momenta intercidunt. Nam dum pars cariotibus mercibus, pars coniugibus, ac liberis proſpicit, pars opperitur inualidos, pars contendit euadere, pars cunctatur pars feſtinat: in mutuam perniciem implicati, alij vix adornata fuga, alij tentata, inter fugiendum oppreſſi. Anteitum remedijs pernicitate mali. Quippe torrens igneus, antequam è monte deuolueretur ad campos, in plures veluti riuos ac ramos quadam fluminis ſimilitudine deriuatus, ſeptem, vt ferunt, aliò, atque aliò flammarum fecit diuortia: vt ſcilicet vndequaque ſimul plures opprimeret, neque vllus fugæ locus daretur. Vnus ignei fluuij riuus in pagum effuſus, qui tergo montis impoſitus à Sancto Georgio nomen accepit, pagum, paganos, pecora, tuguria, tecta, contignationes, ſupellectilem, vno verbo, omnia exhauſit. Duo in obſcuri oppiduli ruina luce digna reperio, quæ à Ferdinando Capycio viro & genere, & legum peritia nobili comperta ſunt: cuius ibidem prædium ſatis amplum conſpiciebatur, & villa turrita. Vnum eſt, quòd cùm eò is inſpecturus bonorum ſuorum reliquias, aduolaſſet; cinerem reperit in tantam altitudinem excreuiſſe, vt ad centum fere palmos aſſurgere crederetur, longè ſupra turrim elatus quæ ad quinquaginta palmos excitata culmen cineri ſupponebat. Alterum præterea memoratu dignum oculatus teſtis narrabat, viſos inter cinerem ſanguinis riuos decurrere: humum vbicumque defoderetur, elicere ſanguinem, qui largè manarat exanimantibus inter tectorum ruinas, & ſaxorum fragmina obtritis. quaſi flamma ipſa deſæuiret in vulnera, ne cruore tanta clades vacaret. Alter ignei fluuij riuus (riuum appello: mare igneum, vt narrant ſuperſtites, ab inſpectantibus putabatur: quaſi ipſum ignis elementum ſuis delapſum ſedibus exundaſſet) Herculanum ad radices Veſuuij collocatum maiori clade defluxit. Erat hoc oppidum ob cæli temperiem antiquiſſimis quoque medicis exploratiſſimum, adeo celebre; vt in eo ad decem millia capitum recenſerentur. Amplæ domus, turrita culmina, auguſta templa, vno prope temporis momento partim flammis abſumpta, partim cineribus conſepulta. Iacent nunc omnia ne ſeruato quidem veſtigio prioris fortunæ: ſoloque cinereo æquabiliter ſuper-

Notat Procopius de bello Goth. lib. 2.

ſuperfuſo vix à gnaris locum digito commonſtrantibus dici poteſt: Hic Herculanum fuit. Oppreſſi multi oppidanorum vnà cum domicilijs in ſepulcra conuerſis, hoc vno fortunati, quòd natalis ſoli ruinas non viderint; idemque ſupremus fuerit & ciuibus, & patriæ dies. Herculano euerſo, latius peruagata calamitas adiunxit Pompeios. quod oppidum pariter, eò deriuatis alio ſurculo flammis, deletum eſt: vt, quã do Herculanum, & Pompeij, vetuſtiſſimi vicini Parthenopæi crateris, eandem ſemper ſubiere fortunam, ſub Nerone eodem terræmotu diruti, ſub Tito eodem incendio deuaſtati, pari eiuſdem conditoris gloria nobiles: nunc etiam communione cladis in eundem pæne rogum impoſiti, pari fato, pari flamma decumberent, excitandi fortaſſe poſterorum beneficio ex hoc cinere, atque ex hac ipſa pyra viuacius reuicturi. Multa in hac duarum, prope dixerim, vrbium euerſione contigere digniſſima, quæ poſteritati tranſmittant hiſtorici, deflenda lacrymis Orbis terrarum. Ego, ijs conſultò præteritis, in hoc deſtinato ad abdentes nuncio communem dolorem leniendum cenſeo fauſta commemoratione diuinæ beneuolentiæ, quæ in pueri cuiuſdam incolumitate inter tot clades eluxit. Rem ita ſubijcio, vt mihi ſpectatiſſimæ fidei Sacerdos narrauit ex eorum familia, qui piè ſe ægrotorum ſeruitio deuouerunt, ab occulatis teſtibus veritatem diligentiſſimè perſcrutatus. Herculani mulier, Camilla nomine, cùm inter fugam aduentantes flammas vidiſſet, atque effugia interclusa; conſilium ab ea cepit, quæ rebus extremis ſpem facit, deſperatio. Saltu è rupe ſe proiecit ad littus: & nepotem quinquennem, Ioſephum nomine, in ipſis planè mortis faucibus coacta relinquere, elatis ad cælum oculis, Sancte, inquit, Ioſeph tibi commendo Ioſephulum. Nec plura. Mox tota in fugam incubuit, quam celerrimè littus legens, timore pedibus alas addente, atque arenis vix hærente veſtigio. Vt periculum euaſit; ſubijt iam ſui ſecuram prima cura puerulus; quem, quoniam rebatur iam mortuum, flebat primo ætatis flore demeſſum, & vſura lucis defunctum, quam vix libauerat. Inter eiulatus, ac fletus, cum deueniſſet ad pontem, ſub quo inter ingentes fornices tenui Sebethus amne delabitur, nomine compellari

Seneca in lib. de Terræmotu.

Dio in Tito: Pompeij à pompa dicti, qua Hercules, deuicto Geyrone, vaccas egit. Solinus lib. 2.

ſe ſenſit. eò conuerſa, vnde notæ ſonum vocis acceperat, Ioſephum videt ſuum, eumque ſoſpitem, ac ſubridentem. Hæſit primò prope ſaxea præ ſtupore: tum recepto ſpiritu, percontatur, Quis eò tam multis ereptum periculis duxiſſet? Reſpondit alacriter puerulus: Sanctus Ioſeph manu prehenſum per flammas medias huc ocyſsimè me duxit incolumē: vbi iam diu te moror. Mulier puerum amplexata mærorem in gaudium, eiulatus in diuinas laudes, fletum acerbiſſimum in lætitiæ lacrymas commutauit, altero felicius fonte deductas. Hæc è diuina pietate ſolatia reliquijs excidij Herculani, è quibus vnius pueri miraculo quæſita ſalus inter multorum cædes clarior; dum Pompeijs vnius feminæ mors in communi ſalute miſerabilior. Nam quamuis tectis prope omnibus dirutis, Herculanum, Pompeioſque peruaſerit calamitas pæne par; fuit tamen incolarum conditio longè diſpar. Herculani, vt dictum eſt, multi mortalium abſumpti: Pompeijs præter mulierculam extinctus nemo. Neque id vacaſſe miraculo dicitur. quippe cum primùm ignis micare cœpit è monte, pleroſque ex oppido Pompeijs tantus inuaſit timor, vt illico fugam capeſſentes, nunquam poſtea, laxato timori ſedando ſpatio, ad ſua tuenda redire, in animum induxerint, tacito quodam horrore cohibiti. Pauci quidam ex aduerſo in ſuis ædibus perſtiterunt inſtinctu neſcio quo inter communem trepidationem, ac fugam, quaſi fide à flāmis accepta, ſoluti metu, curiſque. etenim vtriuſque partis conſilium, eorum, tum qui fugerant, tum qui manſerant, probauit euentus. Ignis tranſuerſim actus, domos eorum, qui aberant, vacuas depopulatus: à paucis eorum, qui aderant, prorſus abſtinuit, vnico capite, eoque iam pridem morti debito contentus, anicula. Hoc à clariſſimo teſte; oppidi eiuſdem Domino compertum, Virginis patrocinio iure adſcribitur: cuius, vt vocant, Annuntiatæ appellatione nobile apud Italos oppidum, ea conditione flammarum arbitrio permiſſum eſt; vt incolis parceretur, deditione facta, ſaluis, innoxijſque capitibus. Templum Deiparæ, quæ oppidanis incolumitatem peperit, ruinas inter, immune, inuiolatumque perſtitit, ingentium arborum ſtrue eò appulſu ſpirituum antelata, quæ fuit pro munimento, atque

agge-

aggere. Alia torrentis ignei ſcatebra Reſinam, pagum Herculano proximum adorta, antiquiſſimum fanum D. Mariæ, vt vulgo appellant, ab Apuliano ſacrum, Petri Apoſtoli olim præſentia, nunc memoria celebre, planè intactum præterijt, totius viciniæ vaſtatione. Alia Maſſam non Lubrenſem, ſed alteram Veſuuij tergo inſidentem, clariſſimorum virorum eò ſe Neapoli recipientium domicilio illuſtrẽ, pagóſque finitimos omni ex parte ſubruit. Maſſæ quidem illud accidit memorabile. Concurrerant plerique ad templum; cùm igneus turbo minas è vicino monte intentaret. ibi, obſeratis foribus, continebant ſe pauidi ac tremebundi: attoniti vultus, ſuſpenſæ aures: neque ſilentium, neque tumultus; ſed mœſta quædam obmurmuratio. Obſcurato interea cælo cœcus quidam exaudiebatur fragor, quem captabant è limine, horrore perfuſi neſcio quo, tanquam dirum aliquid eueniret, quod cogitatione aſſequi non poſſent. Vt breuiſſimo interuallo detonuit; reſeratis foribus, apparuit maior, quàm pro ſtrepitu clades. Tecta, officinæ, turres, villæ, viæ, forum nuſquam viſa; perinde ac ſi euanuiſſent. Nihil obiectum oculis, præter cinerem, & campos, vbi pagus fuit Refugerat ignis ab æde ſacra, quòd viri quidam pij, ex ara maxima ad limen Deiparæ imagine aſportata, eo propugnaculo templi aditum obuallaſſent. Duo præterea Neapolim verſus ignei riui excurſionem fecere. Vnus pagum, cuius paulo ante meminimus, Porticus, appellatum magna ex parte vaſtauit. Erat is inter paganorum caſas multis externorum procerum ædificijs clarus. Locatus etenim in aprico, largiſſimè, & ex integro Solis radios excipit, ægrorum phthiſi laborantium ſuprema ſpes, Neapolitanorum nobilium hyemales deliciæ, hortis, fontibus, xiſtiſque conſpicuus. Squallet nunc illuuie obſitus, atque horrorem incutit ex voluptatis memoria grauiorem. Intumuere aggeribus cinerum dorſa camporum, quibus inſanæ turrium ſubſtructiones æquatæ. Viſuntur etiam nunc ingentes murorum fornices ſemiſepulti, victricium monumenta flammarum, ignis Veſuuiani trophæa. Excitabo aliquid ex huius pagi ruinis dignum, vt arbitror, memoria ſæculorum. Degebat hic quidam obſcuri generis, & clariſſimæ probitatis,

 Nico-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Nicolaus nomine , viris etiam nobilibus apprime carus . Is, cum ſua , tum ab alijs conquiſita pecunia , inauratam ſtatuã tutelari Angelo affabre faciendam curauerat , collocatam poſtea in eiuſdem pagi æde ſacra. Ædes non multò poſt in hac Veſuuiana procella ignei vi turbinis perijt, partim incē-ſa, partim diſiecta ſupellectili ſacra : ne inter tot rapinas , ac cædes execrando Monti ſacrilegij crimen deeſſet . Interea Nicolaus, relicta caſa , ac prædiolo, fugam molitus , Neapolim ſe recepit. vbi interrogatus ab amicis, Numquid detrimenti eius prædium accepiſſet ? Reſpondit fidenter, Omnino nullum : nam meus tutelaris Angelus adſtat ad agelli limites mei, omnem ignis iniuriam propulſaturus. Ita ille diuino vtique afflatu. nam hoc ſiue votum, ſiue oraculum non feſellit euentus. Velificante non multò poſt cymba prope Porticus , ij, qui vehebantur , videre pueri ſpeciem veluti adnantis littori. Rentur fortuitò merſum in aquas , dum ceteri naufragium faciebant à flamma . addubitant , an adhuc halitus in eo vitæ ſuperſit : imperant nautis , vt vela contrahant : parent illi,eòque remis contendunt . cùm propius acceſſiſſent, agnoſcunt ſtatuam Angeli tutelaris, cuius conflandæ Nicolaus curator fuerat, erecto vertice , extantem vndis, adſtantem ripis,quæ eiuſdem Nicolai prædio prominebant , quaſi limites cuſtodire eodem planè modo ,quo ille vel optauerat, vel præſenſerat. Agnoſceres Angelum ad terreſtris Paradiſi fores inſtructum gladio non , vt olim , flammeo, ſed flammas arcente. Cuſtodiam Angelicam agri eiuſdem eſt teſtata felicitas, inter ceteros deuaſtatos innoxij. Luxit in hoc , ſeu potius luſit diuina clementia: Luxit in altero diuina ſeueritas . Quidam famoſus latro à iudicibus conquiſitus ad necem , in pagum , quem diximus , ventitabat . fortè tunc aderat , cùm flagrare Mons cœpit. Inter aliorum fugam admonitus à Sacerdote, vt in re tam plena aleæ , plenaque periculi & capiti, & æternæ ſaluti conſuleret. irriſit communem metum iampridem inter mortis fauces iocari ſolitus ; atque in eo pago perſtitit contumaciæ non ſemel reus. Gliſcente Montis murmure, ille inter metum, audaciamque , ſed huic propior, cùm in arborem , velut in ſpeculam , aſcendiſſet proſpecturus, an quid mali immineret?

repen-

repente ignis appulſu, tanquam fulmine ictus, interijt. Dum caderet, ramo traiectus pependit è trabe, ſuſpendij pœna præpoſtera, ſpectaculum ijs, qui ſuperuenere, admiratione digniſſimum: quòd laqueum, & flammas meritus, ſuſpenſus perijt, & combuſtus, diuina iuſtitia vindice, carnificis miniſterium præuertente Veſuuio. Quod adijcio, commiſerationem habet, & nobile in ignoto capite pietatis exemplum, nulla obliuione delendum. Aufugerat quidam ad primos veluti nutus è Monte nictantis flammæ, deſerto patre, quem inualidum ad iter morbus reddebat, & ſenectus ipſa morbo grauior. Poſtmodum, oblatrante conſcientia, celerius remigrauit, quàm diſceſſerat, parentis vicem ſollicitus. quem enixè hortatur ad fugam, pios humeros cariſſimæ ſarcinæ ſuppoſiturus Æneæ, inter Troianum incendiũ, Latino Poëtæ celebratam pietatem homo virtute, quàm genere clarior inſtaurabat. Abnuit obſtinatè ſenex iam vita feſſus, mortem ætati maturam intra domeſticos Lares oppetiturus in patria. Neque hic adduci potuit, vt ſe filio geſtandum præberet: neque ille vt fugam repeteret, relicto patre; cui, obfirmato ad omnem euentum animo, adeſſe voluit in extremo diſcrimine ſuprema officia perſoluturus. Non diſcreuit flamma, & fortuna, quos amor, & natura coniunxerat. Reperti poſt effoſſas ruinas velut inter mutuos complexus extincti, reddente filio ſpiritum parenti, à quo hauſerat. Poſtremus flammæ riuus per agros traductus, alijs exuſtis, alijs non ſine diuino numine intactis, per labyrinthos, ac ſpiras Mæandrum igneum referens, tandem in viam regiam incidit. Erat hæc, vt fere ſemper, rhedis, equis, peditibus confertiſſima: quippe vnica Neapoli per oram maritimam Salernum vſque tenditur, indeque ad Lucanos, ac Brutios. Vt proſpexere viatores ignem è Monte exilientẽ, in campos delatum, incredibili celeritate decurrere; improuiſo monſtro perterriti, qui eò tendebant, gradum referunt; qui contra, diuerſi abeunt; diſſipatique, conſternati omnes in fugam: rati, vt quiſque curſu princeps, ita fore poſtremum periculo. Sanè perperam in libello de terræmotu pronunciauit Seneca, *incendium fugientes non ſequi*. Nam inter cetera incendij Veſuuiani portenta illud eſt, quod ſiue deſle- *Seneca in lib. de terræmotu.*

Digitized by Google

defle&ctilde;teret; ignis in ſugientes inſiliebat, multis etiam, dum in tergus reſpectant, fronte circumuentis. An quia vltor ſcelerum ſontes quocunque inſectabatur? An quia, ſi naturalē cauſam venari velimus, inter fugam pulſo anteriori aëre, & poſteriori euocato, ſimul halitus ille leuiſſimus trahebatur? Præcluſa fuga, rhedæ, vt ferunt, integræ abſorptæ: multi hominum enecti: pauci ambuſti, vix euaſere Spectaculo alijs fuere, tanquam flammas viciſſent, qui effugerant, ſpecioſa ijs perinde fuga, quam pugna. Narrabant hi, repentino ignis acceſſu congemiſcentium clamorem vix tolli cœptum, & compreſſum, querelas occupante flamma; mox vias, quæ vltro, citroque turbis fugientium feruebant, apparuiſſe deſertas, paucis ijs, qui ſuperuixere, addubitantibus, ſatiſne vigilarent? an ea nocturna forent ſomnia, aut præſtigiæ, captioneſque oculorum? Quidam, cùm Salerno Neapolim iter faceret, ac forte ea hora in locum incidiſſet flammis obnoxium: proſpecto periculo, non ſegnis ad fugam in vicinam ſyluam deflexit, quò alij etiam duo diuerterant. his ille cùm ſe tertium adiunxiſſet; neſcio quo caſu detentus à vepribus, pauliſper hæſit. Mora in incolumitatem ceſſit. quippe, cùm breui ſe extricaſſet; animaduertit, comites paululum progreſſos turbine abripi, atque oculis repente ſubduci: quorum cùm ne reliquias quidem, aut ſupremũm cinerem videret; exiſtimauit nouo terræ hiatu voratos. Ipſe ingenti periculo defunctus. conſilio caſui permiſſo, inter circumuolitantes flammas è deuij ſaltus anguſtijs tandem euaſit. Hic, alijque ſemineces, & mortuis, quam ſpirantibus propiores, Neapolim cùm deueniſſent; tantum ciuibus incuſſere terroris, vt iam iam Vrbi flammam imminere arbitrati non pauci, aliò auolauerint, omnia in maius augente metu. Deſæuiebat interea vis flammarum, quæ ſiue fulminis in morem, ſiue igni, vt Meteoriſtæ vocant, fatuo ſimilis, erratica, ex lex, hàc, illàc tranſiliens, pleroſque cæde; luctu ac metu ceteros funeſtabat. Neque minor è cinere peſtis; quàm è flamma. Nempe inter circumducta in orbem flammarum volumina, turbines cinerei admiſcebantur. In hos aliqui, quos cineris aſpectus fefellerat, dum incurrunt, miſerè conflagrarunt, ſub doloſo cinere flamma

deli-

deliteſcente ad fallendum. Illud admirabilius, quòd cinere, quo extincti fuerant, reſidente in aggeres, tumulabantur, &, verſis naturæ legibus, præbebat tumulum cinis; dum cineri tumulus præberi ſolet. Iam in via regia ignis, & cinis publicè graſſabantur: iam quidquid obuium fuerat, demoliti, ſi Neapolim attigiſſent; tectis ruinam, ciuibus funera, vrbi vaſtitatem minitabantur. Perſeuerant impium conſilium mali Dæmones, quorum, vt reor, impulſu peſtis illa ferebatur; niſi Deipara, vt aſſolet, eorum impetus retudiſſet. Surgit ad viæ limites non procul Neapoli aedes dicata Virgini, cui à Succurrendo appellatio. Hic forte Sacerdos coram conferta multitudine faciebat: cùm ex improuiſo fugientium clamores, morientium gemitus, flammarum ſibila exaudita. Perculit omnes præſentia periculi, & ſæpe letho grauior lethi metus. Obuerſabatur animis, oculiſque vicina mors, atque in ea, veluti cauea, deprehenſi aut miſere expectanda nex erat, aut flammæ temere occurrendum. Timendum etiam, ne inter loci anguſtias, & ingruentem turbam, ſi eniterentur, obtriti (vt ſuperioribus annis in fortuito incendio contigit) vltrò interitum anteuerterent. Ergo dum inter fugiendi, ſiſtendique conſilium, hæſitant, clareſcente iam ſonitu, & flamma propius crebreſcente; clamitare omnes, pectus tundere, atque humana ſpe deiecti, opem Virginis implorare, vnicum in re deplorata ſuffugium: cùm torrens ille igneus, turboque cinereus, de quo diximus, viſi ad fores vſque decurrere, mox ædiculam deuoraturi, qui palatia, turreſque ſorbuerant. Sed patrocinio Deiparæ, reſedit ad fores turbo cinereus: torrenſque igneus vel extinctus, vel, vt alij ferunt, ad mare delapſus. Nimirum non poterat ignis ille tartareus è Veſuuij faucibus, tanquam è Gehennæ portis emiſſus, in templum illi ſacrum perrumpere, quæ dicitur Porta Cæli. Cernitur adhunc vſque diem ante fores, vnde decliuis ad templum eſt aditus, ſupra tres vlnas elatus cinis, vlterius progreſſurus; niſi Deipara inhibuiſſet cuius etiam manus amnes igneos, Neapolim, vt ferunt, collineantes, à Neapolitanis muris reiecit, Vrbe indemni, & iam defuncta tanto metu. Multi ex ijs, quos diximus riui ad mare vicinum procubuere. Nempe hoc vnum ad fluuij ſimili-

militudinem deerat, vt ſiue vndantes flammæ, ſiue flammantes vndæ, inundatione per campos facta, tandem ad mare defluerent. in quo tamen incendium pertinacius exarſit: vt, quo terræ inundauerant, eodem mare conflagraret. Ardebant, nouo miraculo, inter vndarum vortices flammæ: & ignei fulgoris aſſultu lata maria collucebant. Triumphabat inter aquas ignis, à quibus toties cladem acceperat. Commiſcebatur marinus fremitus ſtridori crepitantium flammarum: & fretum æſtu nouo, ac non ſolito exæſtuabat. Crederes æmulatione vicini Montis nouos è mari erupiſſe Veſuuios Non præteribo hic lacrymabile quorundam infortunium, qui cùm ignem vndique occurſantem proſpicerent, fugam ad littora meditati, proiecere ſe tandem ad mare ſiue mitius occubituri inter aquas, ſiue nandi peritia ſalutem ſibi ab vndis polliciti, quam à flammis impetrare non poſſent. ſed irritæ ſpes, conatuſque. etenim ibidem ab igne deprehenſi in ipſummet lethi genus quod fugiebant, incurrunt, extincti maritimo incendio, inter aquas non naufragi, ſed combuſti. Profecto incredibile videri non debet, faces in Dodonæo fonte ſuccendi: in ſtagno Samoſatæ vrbis linum: in Lycia Hæphæſtijs montibus riuos ardere: ignem in Nymphæo aquis pluuijs inardeſcere: cùm certis auctoribus nouerim, duodecim, & eò amplius dies inter Tyrrhenas aquas ignem Veſuuianum arſiſſe. Erat quippe materiæ bituminatæ, & oleagineæ, illi ſimilis, quæ, vt animaduertit Plinius, in Chimæra Lycia monte aquis accenditur: terra, fœnoque extinguitur. Simile quid narrat Strabo, *prope Modonem igneo halitu erumpente, mare ad quinque ſtadia ferbuiſſe.* Idem planè de flammis Ætnæis Auguſtinus refert, qui *legimus*, inquit, *apud ethnicorum hiſtorias Aetnais ignibus ab ipſo montis vertice vſque ad lacum proximum decurrentibus ita ferbuiſſe mare, vt rupes exureret, cùm & pices nauium ſoluerentur*. Hæc Auguſtinus ex Iulio Ethnico: qui addit, magnam tum piſcium multitudinem exanimatam enataſſe. Hoc olim contigiſſe in Veſuuiano incendio tradūt Zonaras, & Dio: & nunc omnium teſtantur oculi. Si quidem aquis inter flammas ebullientibus, infinita prope vis piſcium extincta, ne in maris quidem fundo à Veſuuij faucibus

Plin. lib. 2. c. 103. 104. 106.

Plin. ibidem c. 106.

Strabo lib. 1.

Auguſt. lib. 3. de ciu. c. 32.

Iulius Ethnicus apud Lud. Viues ibidem.

Zona. & Dio. in Tito.

bus tuta. Extitere poſtea ingentes piſcium turmæ ex imo ad mare ſummum eiecta, flammis iam, & aquis elixæ, atque in dapes paratæ, prædæ, & gulæ irritamentum. Sed abſtinuere incolæ, quòd halitu infectos ſuſpicarentur, ſapientiores profectò, quàm olim Liparenſes; qui, vt narrat Oroſius, piſces Aetnæ incendio exanimatos cùm auidè deuoraſſent, mox morbo arrepti, abſumptique ſunt, peſtilentia in eam Inſulam importata. Illud etiam inter hæc contigit prodigio ſimile. Mare per id tempus viſum deſtituere littora; vt iure vſurpari poſſit illud Prophetæ, *Mare vidit, & fugit*, nauibus, quæ Neapolitanum portum tenebant, pæne hærentibus in ſicco, niſi mare mox refluere t, perituris.ſed æſtu reciprocante, & aquis relabentibus, emerſere. Idem contigit in Surrentino littore, per paſſus fere mille areſcente mari. Non deſuere, qui dicerent euocatas è littoribus auxiliares vndas; quà bellum ab igne timebatur; cùm flamma veluti coniuratæ volitarent ad maria. Sed reijcienda iſthæc inter commenta, luſuſque poetarum. etenim, ſi res ad philoſophicam trutinam expendatur, in tanta effuſione ignium, cinerum, lapidum, metallorum, ac materiæ prope immenſæ, Natura, quę tantopere abhorret à vacuo, ne in penitiſſimis Veſuuij receſſibus quidpiam intercipetur inane: aquas eò per latibula attraxit, attractaſque detinuit; donec, laxato aut intruſo aëre, quæ per eoſdem meatus ad ſedes priſtinas dimitterentur. Atteſtatur hoc arenæ tanta vis effuſa, quantam ne mille quidem arenariæ profudiſſent. Reperta quoque inter cetera purgamenta montis marina conchylia; vt parum Veſuuio fuerit ſe ignibus ingurgitaſſe, niſi etiam in gulam maria conderet. Pluribus præterea in locis, tum prope Porticus, tum inter Pompeios, & Herculanum mare prorſus euanuit. Ibidem ſuperingeſta enormi trabium, & cæmentorum materia, quam torrens ille deuexerat, extuberante tellure, portus emerſit non contemnendus peninſulæ in modum, mari hinc inde circumfuſo, longo tractu porrectus. opus momento confectum, cui per plures annos vix opes regiæ ſuffeciſſent, futurum poſteris perenne Veſuuij monumentum. ad cuius nutum enatæ peninſulæ, extructi portus, exhauſta maria, mutati etiam ſinus, ſtationeſque

Oroſius lib. 5. cap. 10.
Pſal. 113.

littorum, mari ſedibus alijs decreſcente, ſuccreſcente alijs. Porro extant longè maiora terris Veſuuianæ flammæ veſtigia. Apparet alia quædam, & lacrymabilis rerum facies. Oppida; quibus frequentiſſimis maritimum Montis latus refertum erat, vbi fuerint. non agnoſcitur. Tecta partim ſolo tenus deiecta, partim ſurgunt deuſta, quaſſata, ſemiruta. Pauca, quæ integra ſuperfuere, ſqualent incolis viduata. Agri, qua ignis excurrit, arboribus ſpoliati. Syluæ reſectæ apertam præſtant planitiem. Campi, in quos multi rami, truncique inciderunt, iam pæne ſylueſcunt. Æquatæ valles, quæ vicinis oppidorum ruinis creuere: cinerum tumuli pluribus in locis prope in montes aſſurgunt. ſiquidem turbines cinerei, quos vnà cum torrente igneo Mons afflauit, antequam ad mare procumberent, ſubſedere terris. iamque alij alijs aggeſti plurium referunt collium imaginem ſterilem, ſqualidam, horridam, nunquam vnius montis diſpendium inſtauraturi. Sed ſpectaculum inter cetera, funeſtiſſimum exhibent loca, quæ Pompeios, & Herculanum interiacent. Nuda cernuntur nullo diſcrimine prope immenſa camporũ ſpatia, paulò ante diſcriminata villis, ac turribus, & lectiſſimis vitibus conueſtita. Non arbor ibi ſuperſtes; non ſeges, non frutex, non herbula. Solum, quod læta modò viriditate herbeſcebat, plane exherbatum, ſaxis peruſtis, alijſque montis eiectamentis conſpergitur, Non vnum Campaniæ iugum, ſed Pelion, Oſſan, Olympum, & pæne quidquid vbique eſt montium, diſrupta credas in lapides. Hæc feralia ignei tramitis, flammæque veſtigia, in vaſtiſſimos protenſa tractus, incredibile eſt quantum ſpectatoribus terroris incutiant. Nemo eò accedit (acceſſere autem fere omnes è vicinis vrbibus, atque oppidis æquè ſummi, & imi) quin fateatur aſpectu vinci, quidquid magnum mente præceperat. Stuporem auget vaſtitas tanta in loca tam diſſita, fere momento importata. Viæ præterea per plures dies occluſæ obſtructæque cinere; qui varijs in locis ad ſex, ad decem, ad quindecim etiam palmos attollebatur, domorum culminibus; &, pæne dixerim, pinnis turrium exequatis. Tentatum eſt per cinerem iter, quà iacebat humilior: ſed luere pœnas audaciæ, qui auſi ſunt. Hærebat pes in viſcoſo

cinere

cinere, ac ſi in tenacem argillam incidiſſet. Non homo, non equus, non bos inde ſe expedire poterant; quamuis maximè adniterentur, &, niſi celerrimè ſubuentum eſſet, miſerè deperibant. Quidam, dum aliorum metum irridet, & contemptim, ac ioco cinerem calcat, intra paucas horas extinctus eſt. Perurebat acrius cinis, quàm ignis: neque, vt ſolet, flamma in cinerem, ſed cinis abibat in flammam. Narrauit mihi vir fide dignus, qui tertio, aut quarto incendij die ad ea loca propius acceſſerat auiditate ſpectandi, vidiſſe ſe in via duo iumentorum corpora, ſex hominum, cinere demerſa, & exanimata. vnius ex his dexteram inter exultantes flammas adhuc inardeſcentem nihilo ſecius, quàm ſi piceam faculam ignis corripuiſſet. Retraxit ille gradum eo ſpectaculo territus, ne Plinij audaciam æmulatus, interitum etiam ſortiretur. Iacuere palam in foro quædam delata in Vrbem combuſtorum cadauera, lugubre ſpectaculum, quod non parum elicuit lacrymarum: ora nigrantia à buſtis diſſita, oſſa carnibus dilapſis extantia; manus, pedes, crura diſiecta, Veſuuianæ cladis exuuiæ. Huc recidere ſeptem, quos recenſuimus, torrentis ignei riui, ſeu potius, quæ ſeptẽ nec fabuloſa extulit capita noua Hydra, fœcũda in perniciem. Ceterum veritatem eorum, quæ de torrenre igneo diximus, comprobat id, quod ſcripſit Oroſius, qui, *abruptum*, inquit, *Veſuuij montis verticem magna profudiſſe incendia ferunt: torrentibuſque flammarum vicina regionis cum vrbibus, hominibuſque deleuiſſe*. Ex Ætna quoque monte, qui Cataniæ, celeberrimæ in Sicilia vrbi, adiacet, fluuium igneum decurrere ſolitum teſtantur incolæ, pernicie, quacunque fluit, agris inuecta, omnia deuaſtaturum, niſi malo ciues occurrant, Agathæ Virginis velum haſta ſuſpenſum igni oſtentantes. ad cuius aſpectum, quaſi ad erectum pudicitiæ trophæum, reuoluto curſu, flammas trepidantes effugere, conſtantiſsimè fama fert.

Oroſius lib. 7. cap. 9.

Quintus, & poſtremus terror, aquarum inundatio. Malè conſultum reor ijs, qui magna, & noua conſcribunt; cùm nouarum magnitudo rerum, animis ad diſſentiendum pronis, fidem demat hiſtoriæ. Profectò poſteri, qui hæc legent à peritioribus dirigenda in annales facilè in ſuſpicionem venient,

nient, non tam narrationem hanc eſſe omnia ad veritatis normam metientis hiſtorici; quam fabulam multa ad voluptatis licentiam ementientis poëtæ. Quis enim credat eodem planè tempore ex eodem Monte ignium, & aquarum ſcaturigines prodijſſe, partamque flammam vnda obſtetrice? Quis ſibi perſuadeat (quod inter ea, quæ fieri nequeũt, recenſeri ſolet) aduerſantia elementa, ignem, & aquam, coijſſe inter ſe ſe, ac pæne fœdus inijſſe? Quis non inter fabulas numeret, eumdem Veſuuium, quà mare proſpicit, torrentem igneum quà contiuenti adnectitur, torrentem aqueũ demiſiſſe; &, quaſi diuiſis copijs, ex vtroque latere flammis, & vndis, fulmine, & flumine, conflagratione, & inundatione, oras finitimas inuaſiſſe? Hæc tamen verè ita euenisse, noſtro detrimento didicimus, non multò grauiore à flammis quam ab aquis accepta clade. Scilicet in hac veluti rebellantis Veſuuij defectione omnia cùm eo in noſtram coniurauere perniciem elementa: Terra concuſſionibus; Aër pluuijs cinereis, ac lapideis: Ignis conflagratione; Aqua eluuione: vt hinc præſenſionem quandam haberemus extremæ diei, & ſuprema diuinæ iræ argumenta: dum iam *pugnat Orbis terrarum contra inſenſatos*. Itaque, dum Veſuuius per maritimam oram cinere, flammiſque bacchatur, pæne maria debellaturus; ex alio latere, quo Palmæ, Nolæque campos deſpectat, ingentem aquarum vim magno impetu cœpit effundere. Sæuijt hæc, quà rabies ignis defecerat. quicquid flammarum voracitati ſubductum fuerat, demolitura. Namque in agros effuſa, omnia longe lateque demerſit; vt æquora camporum tranſijſſe viderentur in maria. Primò, vijs occluſis, aquæ ad quindecim palmorum altitudinem aſſurrexere æmulatione quadam ingentium fluuiorum. quæ, quamuis non multò poſt detumuerint; non tamen tranſiri vado poterant admirantibus, vnde tam ſubitò nouus hic fluuius erupiſſet? Coniurauerat non cum flammis modò, ſed cum aquis etiam cinis, qui plurimus torrentis alueo ferebatur. Horrent adhuc circumfuſo cinere arborum fibræ non ſine ſuſpicione peruſtarum radicum, ſpe quoque proximæ colligendæ vindemiæ pæne perdita. Hæc dubia pernicies, & futura proſpiciens: illa certior, & cum præ-

Sap. 5.

ſenti

ſenti iactura. Aquæ cum eodem, quo flammę, impetu quaſi certatim è Monte decurrerent, atque obſtantes arbores, glebas, trabes, cæmenta, ſaxa, alueo iam tumidiore conuoluerent; non in mapalia ſolùm, & tuguriola, ſed in domos etiam, ac tecta irrupere. & iam, tabulatis effractis, in cellas vinarias intruſæ, dolia vino pretioſo abunde plena ruptis compagibus, exonerauere. Natabant pauimenta vino: & inter aquas iam rubeſcentes, amnis purpureus excurrebat, labore, lucroque præteritæ vindemiæ vnà cum vini riuis effuſo. Neque ea ſolùm lues ab aquis fuit. nam per agros villæ, caſæque deturbatæ: per pagos non paucæ domus deiectæ, aliæ obſeſſæ: itinera obſtructa: commercia ſublata; quaſi perruptis obicibus, Eridanus, aut Danubius exundaſſet. Memorandum illud, & in re tenui non tenue diuinæ prouidentiæ argumentum, quod in agro Nolano contigiſſe narratur. Rapuit cunas & iacentem infantulum vis aquarum. quem repente è ſuorum auexit oculis. Credidere illi mortuum doluere, fleuere. vix trahentem auras, abſorptum aquis, atque in terra naufragum querebantur. itur fortè poſtea ad ſyluam. reperta ibi ciſta cum puero incolumi planè, ac ſoſpite: quaſi aquæ illi admurmurantes, blandæ ſomni conciliatriculæ; & frondium aquis adſtrepentium fragor fuiſſet pro nænia. Admirationem peperit, quòd rapidiſſimè vecta inter aquarum vortices cuna euaſiſſet in cymbulam; & faſciolis vſa pro velis, diuinæ clementiæ afflatu, nauarco Angelo, ripam ſecundo curſu tenuiſſet. Præſagiere non pauci, puerum ad ſupremos honores conſcenſurum, tãquam nonũ Moyſen in fiſcella ſcirpea ad ripam fluminis aſſeruatũ, aut nouum inter ſyluas Romulum maiore miraculo, vnda nutrice, non lupa. Suſpicienda ſcilicet in eo diuina potiſſimùm prouidentia, quæ magnam ſe exhibet vel in paruis. Suſpicienda pietas in ſalute pueri, omni humana ope deſtituti; cùm per idem tempus & virorum plerique, & multa pecudum millia hac eluuione demerſa perierint, in antiquũ prope chaos recidentibus elementis; & aqua terris vndante, cùm mare flammis igneſceret. Hic quintus terror, & poſtremum ſpectaculum Veſuuianæ tragœdiæ, quæ vna multis in locis plures tragœdias excitauit. Acclamationes, & plauſus

Exod. 2.
Liu. lib. 1.

plauſus ceſſere in querimonias, ac lacrymas. magna rerum ac luctuoſa cataſtrophe ſcenæ ſeruijt defuncta excidijs vrbium, & funeribus populorum. Inter tot tamen calamitates, & clades vrbs Neapolis vicino malo perſtricta leuiſſimè, immo omni planè pernicie immunis fuit, nullum publicum detrimentum paſſa præter ingentem timorem. Id ſecundum Virginem, cuius in primis patrocinium Parthenopes nomen ipſum ominatur, Martyri Ianuario ſuo præcipuo tutelari, ac patrono acceptum refert. Senſerat olim in Veſuuianis incendijs Ianuarij præſidium, non quidem, dum ille viueret, vt nullius antiquioris teſtimonio nixus, memoriæ prodidit

Maiolus colloq. 16.

Maiolus, ſed centum ſexaginta ſeptem annis ab eius obitu natalitio: nempe in conflagratione quæ contigit anno poſt Chriſtum natum quadringenteſimo ſeptuageſimo, non primo, vt plerique, ſed ſecundo; cuius extinctæ laudem omnes

Marcellinus in Chronico.

Ianuario tribuunt. Fuerat ea facilè omnium maxima: in qua, vt ſupra cum Marcellino diximus, *tota Europa facies minuto puluere contecta eſt*. Ideoque, vt habetur in peruetuſta de S. Ianuario homilia, *toti Europæ conflagratio imminere videbatur*.

Baronius in notis mart.

Confugerat per id tempus Neapolitana Ciuitas ad Ianuarium; cuius iam tum & patrocinio gloriabatur, & ſanguine, experta in præſentiſsimo periculo opem præſentiorem. Reſtinctas enim Ianuarij beneficio flammas

Marcellinus in Chron. Procop. lib. 2. de bell. Goth. Baron. loc. cit.

& totus pæne terrarum Orbis agnouerat, & Græcia (vt ex Marcellino, & Procopio refert Baronius) annua memoria teſtabatur. Itaque cùm hæc à maioribus tradita, Neapolitanorum ciuium animos imbuiſſent; vbi flammula è Mõtis vertice viſa ſplendeſcere, noui duxit incendij prima veluti lineamenta: nihil ij habuere antiquius, quàm vt ad implorandam Ianuarij opem curas omnes, animoſque conuerterent, auctore in primis Cardinali Archiepiſcopo, qui periculo ereptus, vix Neapolim attigit, cùm Ianuarij ſanguinem eductum ex arcula, eiuſdem capiti appoſuit: vt viſitato miraculo ad eius aſpectum liqueſceret, quaſi ad fontem reſiliens, vnde ſcaturijt. Sed cœperat iam nouo prodigio antequam cum capite congrederetur, ſponte molleſcere, commiſeratione, credo, cladis, quam Veſuuius, inferre iam cœperat. Indicta præterea ab Archiepiſcopo ſupplica-

tio,

tio, qua caput, & ſanguis Martyris publice deferretur. Aſfuit ciuium multitudo ſupra captum centum fere millia capitum fuiſſe tradunt. Sequebatur Prorex nobilium corona ſtipatus. Quo ſenſu animorum id factum ſit, dum indæ flammæ lucere, hic tenebris cuncta nigreſcerent, nubes cælo cinereæ impenderent, terra motibus quateretur, facilius alij coniectura aſſequentur, quàm ego narratione. Adſtrepebant terræ fragoribus clamores hominum, veniam à Deo, opem à Ianuario flagitantium. Manabant è Veſuuij ſupercilio flammæ; ex omnium oculis lacrymæ. Nemo eo die, vt opinor, ita obſirmatus in ſcelere, pectoriſque adeo ferrei fuit, qui vnà cùm Ianuarij ſanguine non liqueſceret. Enimuero non tot hominum millia concionatores diſertiſſimi è peccatorum cœno deducta ad Dei amicitiam traduxere vno ſeculo; quot vno die Veſuuius. ſcilicet Mons elinguis linguis igneis loquebatur: neque vnquam ſine ingenti fructu fuere linguæ igneæ. Igitur cùm eo, quo dictum eſt, ſenſu pietatis ſupplicatio per vrbem vaderet: primò ad templum D. Mariæ à Carmelo, quod peruetuſta religione colitur, tum extra portam, quæ Veſuuium proſpicit, itum eſt. Quod cùm poſtridie præſente Cardinali Archiepiſcopo, qui primo die morbo detentus abfuerat, repeteretur: ferunt qui aderant, vt Montis aſpectui ſacer Ianuarij ſanguis oblatus eſt; nubes cinereas, quæ à Veſuuiano incendio conflatæ, atque halitibus igneis intermiſſæ, tunc ad Vrbem, quaſi meditatæ perniciem, ferebantur; non auſas progredi, viſaſque refugere. Erubuere, credo, flammæ victorem ſuum, eiuſque aſpectum ſuſtinere ignis non potuit, à quo ſe victum, proſtratumque meminerat. Coniectus olim Martyr, dum viueret, in fornacem, illæſus euaſerat; vt iam tum flammis imperare aſſueſceret: & paruo Nolæ incluſus camino, præluderet ille victorijs, quas erat tot poſtea ſæculis de Veſuuio reportaturus, inter Nolanas flammas integer; vt nos etiam eius beneficio inter Veſuuianas innoxij eſſe poſſemus. Quod ſi, vt Cyprianus ait *Gehennæ ignes Martyrum glorioſo cruore ſopiuntur*; certè mirum non eſt, Veſuuianum ignem, Tartarei indicē, Ianuarij ſanguine conſopiri. Hunc eius diei ſupplicatio exitum nacta eſt; cuius omen iam omnes animis, ac ſpe præce- *Cypr. ep. ad Mart.*

 perant.

perant. Fulſerat eo die dubia lux, vt Sol non tam lucere cælo, quàm lugere videretur. tum fædiſſimæ nubes planè Solem condiderant, omnibus cœca caligine circumfuſis. Vix Ianuarij ſanguis geſtandus per Vrbem, ex ara maxima efferri cœptus, cùm Sol repente intermicuit, ac feneſtram, quæ ſupra ianuam patet, clariſſimè colluſtrauit, omnibus, quaſi eo radio ſpes certa ſalutis effulſerit, auſpicatiſſimam lucem, & miraculo ſimilem inclamantibus. Illud præterea ſilentio præterire non poſſum, quod per omnium ora vulgatum, multis etiam perſuaſum, teſtantur non pauci, viſum ibidem inter eam lucem Ianuarium infula, baculo, & pontificia veſte fulgentem, quaſi eo aſpectu oppignerata fide, Vrbem ſub eius tutela, ac patrocinio futuram. Ex illo omnia nobis tuta, omnia fauſta euenere. Illud omnino liquet, Ianuarium ſi minus aſpectu, qui ſub oculos cadat, certè ope affuiſſe. Inter tot terræmotus nulla ruina. Torrens igneus prope Neapolim vel compreſſus, vel retortus. Cinis qui leuiter hic initio pluerat, opportuna, atque inſperata pluuia mox abſterſus. Nubes cinereas ſæpe vidimus recta Neapolim à ventis impelli, mox repelli. quandoque etiam animaduertimus, ſupra proximos colles Vrbi veluti coronam circumduxiſſe, quaſi tacitè ſueclamantes acceſſu ſe prohiberi. quotidianum Deiparæ, ac Ianuarij miraculum inclamant omnes, diffitetur nemo. Euolatus pæne menſis erat à die naſcentis incendij, cùm cinis in immenſa congeſtus volumina vndique Neapolitanum cælum obtexit. Inſtaurantur metus, conſternatio, clamores. Rurſus omnia luctus, lamentationes, vota. Diluuium cinereum metuebatur, non pluuia; cùm ex inſperato detectus aër: reſtitutum cælum: depulſæ nubes, vix tenui cadentis cineris relicto veſtigio, quaſi nobiſcum ea leui aſpergine iocarentur. Ridemus iam quotidianas minas adhuc furentis Veſuuij. Nubes prodigioſæ, quas è Montis culmine ſemper egeſtas videmus aliò iter arripere, quocunquè ierint portentum, ac metum aſportaturas; iam ſpectaculum multis exhibent non iniucundum Mõſtra, quæ hinc in in alias Mundi plagas luctus, ac funera conuehunt. nobis pæne ad voluptatem trahuntur, Quanquam, vt paulo ante dicere cœperam, nihil hic interea prætermiſ-

termiſſum,quod vel ad mulcēdam diuini Numinis irā,vel ad conciliandum Deiparæ, ac Ianuarij patrocinium conducere potuiſſet. Ter Ianuarij ſanguis ad Montis aſpectum allatus, vt qui flamma terrorem incuſſerat, ſanguine terreretur. Supplicationes per menſem quotidie repetitæ tam multæ diebus ſingulis, vt ſæpe vna pluribus occurreret, inter viarum anguſtias implicatæ ad pietatem. Iam forum plateæ, compita non alijs vocibus, quàm gemitibus, ſuſpirijs, precibus reſonabant: adeò vt Vrbs tota vnius templi faciem redderet. Chori virginum paſſis crinibus ad commiſerationem; turbæ virorum ſiue ſe loris acriter diuerberantium, manante iam è laceris humeris ſaguine Veſuuij incendia reſtincturo, ſiue capite coronam ſpineam, humero crucem, collo funem geſtantium, argumenta concepti doloris; agmina religioſorum animo ad pietatem, vultu ad modeſtiam compoſito, Deiparæ, ac Sanctorum ſuffragia implorantium, quotidiana per hos dies Vrbis fuere ſpectacula. Ambigeres, an ſacra hebdomada præuolaſſet? vt non immeritò cordatus vir dixerit, incendia Veſuuiana reponenda eſſe in optatis. quippe dum exhibet Gehennam Veſuuius, cæleſtem Neapolis exhibet Paradiſum. Nihil hic exaggeratè dico, Profectò magnus eſt officij magiſter metus. Illud præterea relatu dignum. Triginta pellices,quæ venali forma pudicitiam quæſtui,animum Diti deuouerant: conſilio ad meliora conuerſo, per Vrbem turmatim prodiere, accisis capillis, atque ad Chriſti è cruce pendentis pedes appenſis, tanquam ſciſſi cordis indicibus, conſtantiæ vadibus, pœnitentiæ trophæis. Neque minor in viris ad deteſtanda ſcelera pietas. Quidam antea facinoroſus publicè per plateas ante Chriſti effigiem, elata voce, patrata vulgauit crimina tanto animi ſenſu; vt ab omnium oculis prope fletum extorſerit, iam concionator è reo. Infinitus planè ſim, ſi perſequar ſingula: neque deſunt, qui hæc exactius, & minutius conſcripſere. Vt multa paucis, nemo in communi calamitate ſibi deeſſe viſus eſt,nemo ſuis. Inter omnes tamen eminere viſi, & excellere Eminentiſſimus Cardinalis, & Excellentiſſimus Prorex; quorum vterque optimi Principis egregiè munus impleuit. Cardinalis Archiepiſcopus tum in Eccleſia matre, tum in cęteris ſacrã

Euchariſtiam exponi iuſſit, inter clades & præſidium, & ſolatium. Ipſe precibus, concionibus, ſupplicationibus aſſiduè interfuit. Parochus præterea paganos, qui propius periculo aberant, vt pro ſuo quiſque munere ſuis non deeſſent hortatus; ſummo in id ſtudio inuigilauit. Non paucos etiam è religioſis familijs ad oppida, quæ vel ruerant, vel arſerant, ſiue ad tumulandos mortuos, ſiue ad ſubleuandos ſuperſtites deſtinauit. Inter quos (abſit iuſtæ commemorationi iactantia) Patrum noſtræ Socieatis charitas, atque ardor eluxit. qui, cùm adhuc ſerueret incendium, Herculanum vſq. delati, inter æſtuantes flammas, & ſaxa volantia, cadauera ex alto cinere defoſſa, atque in humeros impoſita, noui Tobiæ, ne Veſuuiano cineri humanus commiſceretur, tumulo honeſtiori mandarunt. Veſuuij funalibus parentalia celebrata. Hæc profectа ex Archiepiſcopi Cardinalis induſtria. Par apud ciues Proregi commendatio, qui aſpectu, imperio, opibus, ope non defuit. nam & ſupplicationibus per plures dies quotidie affuit pedes, detecto inter imbres capite, vir alioqui dubiæ valetudinis, & eæ, quæ ſecuta eſt, nocte edicto cauit, ne quis ad pellices auderet accedere. qui accederet, quæ accedentem exciperet, capite plectendi. Exemplum ſanè, quod omnis admiretur poſteritas: qui clauum imperij tenent, etiam imitentur. Eiuſmodi edictum eadem noctis hora per duodecim Vrbis regiones, præmiſſo tubarum ſonitu, promulgatum, maximo ciues terrore compleuit. Quaſi ijs tubis inter nocturnas tenebras, ac cinerum pluuiam reſonantibus, ſupremæ buccinæ ſonitus, ſupremus Mundi cinis, ſuprema nox adumbraretur. Vias præterea, quæ altiſſimo ſepultæ cinere, itinera planè intercluſerant, miſſis eò pluribus hominum millibus, aperiendas Prorex curauit: ijſque oppidis, quæ nondum funditus flamma vaſtauerat, opportunè ſubuenit. Nocturnas etiam per Vrbem excubias, ſuis diſtributas locis, aptè diſpoſuit, ne nouæ turbæ excitarentur. Quippe occupati maiore formidine animi non reguntur legibus, aut imperio: &, cùm ſemel apud vulgus turbatum, trepidatio in tumultum euadit. Sed inter hæc omnia principem commendationis obtinet locum cùm Archiepiſcopi, ac Proregis, tum priuatorum ciuium in exte-

ros

ros homines pietas,, qui flammas inter elapſi, deſtitutis laribus, Neapolim pæne omnes confugerant, initio excluſi, poſtmodum admiſſi. Hi vaſtatione oppidorum, & Veſuuiana illa veluti proſcriptione,bonis omnibus ſpoliati,egeni,proſtrati,quidā etiā ſemiuſti,ac veluti precarium trahentes ſpiritū,non homines,ſed laruæ,atq; vmbræ hominum vagabātur. Alius ereptum parentē,alius coniugem,alius liberos lamentabatur : omnes patriam, qua nihil eſt pleriſque mortalium carius. ex his non pauci paulò ante locupletes, domibus, prædijſque deperditis, decem, viginti, quadraginta etiam millium aureorum vno die effuſo pretio, aut fame emori, aut, quod ijs morte grauius videbatur, ſtipem emendicare cogebantur. Mulierum præterea pudicitia in magnum diſcrimen adducebatur; quarum multæ parentum, & coniugum interitu orbæ, ac viduæ per vrbem errabant, ſtipatæ gregibus puellarum : in quibus maius periculum creabatur à forma, quàm impendiſſet à flamma. Ergo, cùm non deeſſet pietati materies, ciuium pietas materiæ non defuit. Reſerata marſupia, detectæ arcæ, aurum veluti è carcere eductum : quæ præcipua Solis progenies longo tempore lucem non viderat. Neque ſolùm ijs, qui petebant, pecunia, & omnis generis commeatus ſolitò largius erogata; ſed multi etiam conuenarum à primarijs viris, deni, quindeni, viceni à ſingulis excepti perbenigne hoſpitio, quos Mons arcebat inhoſpitalis. Multæ præterea domus conductę, eoque loci mulieres adductæ, eæ potiſſimùm, quarum pudor periclitabatur; excitaturæ hìc maius incendium, quàm quod in Veſuuio fugientes reliquerant. In has impenſas non ſolùm è publico Vrbis ærario, ſed ingens etiam pecuniæ vis effuſa ex ijs, quos iure Montes vocant, quia ad pietatis munia deſtinantur, quę locum obtinent Cęlo proximum. Largior in hoc fuit is, quem Montem Miſericordiæ appellant, contrahendi etiam æs alienum vſque ad decem millia aureorum poteſtate petita : vt Montem Monti, & Veſeui ſæuitiæ non niſi Miſericordiæ Montem opponeremus. Septem fere hominum millia, quæ flammas euaſerant fame lentius conficienda; Montis Miſericordiæ impenſis, atque opera enutrita partim in oppidis, partim Neapoli extra pomærium, ad

 ædem

ædem Martyri Ianuario ſacram: vt vel hinc appareat, eos à Veſuuiano æſtu ſubductos, ſub Ianuarij tutela, atque vmbra conquieſcere. Certatum in his pietate inter eos, qui præerant imperio. Atque in hæc opera tum Archiepiſcopus, tum Prorex non auctoritate ſolùm, atque induſtria, ſed magnis etiam largitionibus conſpirauere. Præluxere Duces exemplo, quo in ceteris pæne ſancita lex eſt. Equidem crediderim his maximè placatum diuinum Numen, à noſtris cladibus temperaſſe. Dixerit ſanæ impiè Seneca, *Non ira Numinis terram concuti ſuas iſta habere cauſas: neque imperio ſæuire*. Nobis quibus hæc ſunt Chriſtiano radio metienda, longè aliter ſentiendum. Deus eſt, vt Regius Vates ait, qui *tangit montes, & fumigant*. Deus eſt Moyſe teſte, qui *montium fundamenta comburit*. Non potuit is incendij huius auctorem quaſi digito clarius indicare. Veſuuium tantùm non nominat. *A Dei facie*, vt præſenſit Daniel. *fluuius igneus, rapiduſque egrediebatur*. *Deus eſt*, vt Tertullianus ait, *verus Prometheus, qui ſigna maieſtatis ſuæ indicantis edidit per imbres, per ignes*. Flamma ipſis ab aquis fota, vt in euentu coſimili Petrus Damiani dixit, *perſpicuè fuit diuini furoris indicium: cùm quidquid mergebatur, extingui non poſſet, & aqua quodammodo humida non eſſet, vt ardentia poſſet extinguere*. Ambigas, an extra communem naturæ aleam conſtitutus ignis ille ſit, cuius impetum non circumſeptę parietibus domus, non vlli obices remorabantur; ſolutis illico cunctis in cinerem, veluti in ſarmenta, aut ſtipulas incidiſſet. Cinis ipſe, qui per menſem fere integrum momentis ſingulis in immenſas nubes difflatus, ac poſtmodum deoneratis nubibus, onerata tellure, tecto mari, iam mille Veſuuios exhauſiſſet: olet profectò aliquid natura maius. Gehennæ adumbratam quandam imaginem Deus nobis in Veſuuio refert: vt vel hoc metu à culpis inhibiti intelligamus, quàm acriter ignis ille torqueat, cuius vel ipſe cinis exurit. Pauſilyppi, Mergellinæ, & Lucullanæ plagæ delitias, hinc Puteoli cingunt, inde Veſuuius, gemini Naturæ exeſtuantis camini, adiecta voluptati ſupplicia. Quippe *de Aetna, Vulcono, ac Veſæuo*, vt Abulenſis ait, *à quibuſdam indubitatò aſtruitur, quòd Inferni quadam ora ſint*. Neque

Seneca in lib. de terram.

Pſal. 103.
Deut. 32.

Daniel. 7.
Tertul. Apol. contra Gen.

Petrus Dam. ſerm. de Sancto Ruffin.

Abulenſis parad. lib. 5. c. 99 & ſequent.

hoc

hoc tantùm tulit ſuperſtitioſa vulgi,& plerumque fallax credulitas, ſed ſapientium quoque ſententia momentis librata rationum. Profert idem Abulenſis Mayronum, clariſſimum Scoti aſſeclam docentem, poſt extremum Mundi diem hæc montium æſtuantium ſpiracula eſſe occludenda, & tunc demum Inferorum fores obſignandas, quæ nunc mortalium terriculo patent. Non diſſentit ab hoc ſapientiſſimus vir Surius, qui, *quidquid*, inquit, *dicant philoſophi, quædam ſunt Tartari oſtia, aut loca puniendis animabus deſtinata. Vt in Iſlandia mons eſt Hecla dictus qui ignem euomit. Viſuntur illic mortuorum ſpiritus, qui in nota ſpecie efferuntur familiaribus colloquijs hominum.* Addit infra. *voluiſſe Deum in terris extare huiuſmodi loca, vt certius noſſent mortales, quæ maneant impios poſt hanc vitam: & ſic diſcant timere Deum; vt poſſint æternos ignes euadere.* Teſtatus eſt idem (vt è Metaphraſte Maiolus refert) Pion presbyter paulò ante martyrium, cum chriſtianam religionem ſanguine teſtaretur. Conſonant his ea, quæ Gregorius tradit de Theodorico Rege Arriano, Ioanne Papa & Simmaco iudicibus, in ignem Liparitanum demerſo. Habemus denique de hoc ipſo Veſuuio apud Petrum Damiani teſtimonium luculentiſſimum. Libet verba tranſcribere, quia ad rem, qua de agimus, maximè faciunt. *Deſiderius*, inquit, *religioſus, Caſinenſis monaſterij Abbas* (hic fuit poſtea, pace eruditiſſimorum virorum, non Vrbanus II. ſed Victor III.) *mihi aliquando narrauit, quod ipſa ratio perſuadet, vt ſcribam. Seruus Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe iuxta viam publicam habitabat ſolitarius. qui nimirum dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram cellulæ horarum explorator aperiret; ecce vidit multos nigros homines tanquam Æthiopes, iter carpere, & longo tractu ſarcinarios comminare. cumque eos inquireret, qui eſſent, cuiuſue reigratia hæc iumentorum pabula deuectarent? Maligni, inquiunt, ſpiritus ſumus. hæc paramus non pabula pecoribus alendis, ſed fomenta potius ignium hominibus comburendis. Ita planè ſecundum ſimilitudinem illam Apoſtoli, ſupra fundamentum hoc alij ædificant fœnum, & ſtipulam; quale cuiuſcunque opus ſit, ignis probabit. per fœnum, &*

Mayronus apud eundē.

Sur. in comm. ann. 1537.

Maiolus colloq. 16.

Greg. Dial. lib. 4. c. 30.

Petrus Dam. epiſt. ad Dominicum Loricatum.

Epiſt. 1. ad Cor. cap. 3.

ſtipulam peccata ſignificans, quæ Gehennæ accenſa, incendio perpetuo peccatores incendent. Pergunt illi: Præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandulphum, qui iam decumbit, & Ioannem, Magiſtrum militum Neapolitanæ ciuitatis, qui adhuc viuit incolumis. Illico vir Dei præfatum Ioannem impiger adijt: quæ viderat, quæque audierat, fideliter cuncta narrauit. Per idem tempus Otho Imperator II. aduerſus Saracenos præliaturus, in Calabriã feſtinabat. His igitur auditis, Ioannes ait. Modò neceſſe eſt, nos Imperatori occurrere, & cum eo ſimul de huius terræ ſtatu prouida conſideratione tractare. Porro poſt Imperatoris abſceſſum ſpondeo, quia & ſeculum deſeram, & monaſticum habitum ſumam. Vt autem probaret, vtrum verum eſſet, quod ille narrabat, nuntium protinus ad mœnia Capuana direxit. qui veniens, Pandulphum iam mortuum reperit. Ipſe quoque Magiſter militum Ioannes, antequam iſtas partes Imperator attingeret, vix diebus quindecim ſuperuixit. Quo mortuo, Mons Veſuuius, vnde videlicet Gehenna frequenter eructat, in flammas erupit: vt liquidò probaretur, quia fœnum, quod à Dæmonibus portabatur, nihil aliud fuit, niſi ignis trucis incendij, qui prauis, & reprobis hominibus debebatur. Nam, quandocunque in illis partibus reprobus diues moritur; ignis erumpere de prædicto monte videtur, & tanquam ſulphureæ reſinæ congeries ex ipſo Veſuuio protinus fluit, vt torrentem faciat, atque decurrente impetu in mare deſcendat. Vbi videlicet corporaliter videri poteſt, quod in Apocalypſi Ioannis de reprobis dicitur, quia pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Apoc. 20. *Enimuero & Salernitanus Princeps, huius videlicet Guaimarij æquè Principis, qui ante non plures annos pro multis violentijs, atque tyrrannicis oppreſſionibus, ſuorum gladijs peremptus eſt, auus, cùm procul aſpexiſſet quadam die de prædicto monte Veſuuio piceas, atque ſulphureas repente flammas erumpere, protinus ait. Procul dubio ſceleratus aliquis diues in proximo moriturus eſt, atque in Infernum deſcenſurus. Sed ò cœca mens reprobi hominis, immo ſuper nos terribile iudicium Conditoris? Superueniente ſiquidem proxima nocte, dum*

ſecu-

ſecurus cum meretrice concumberet, expirauit. quem illa (vt poſtmodum referebat) quid contigiſſet, ignorans, diutius pertulit: & vix tandem à ſe non homine, ſed cadauer exanime proſtituta deiecit. Quibus cognitum eſt, non reprobos tantùm diuites, ſed carnis putredine inquinatos, ac denique peccantes omnes quouis genere mortalium peccatorum, ac ſine pœnitentia morientes, Gehennæ ſubituros fore ſupplicium. Quidam præterea in Neapolitanis partibus presbyter, volens certius quàm licebat, addiſcere, illuc vbi gehennale barathrum feruentius eructabat, præſumptoria decreuit audacia propinquare. Miſſarum igitur ſolemnia celebrauit; ſicque infulatus, velut armatus, iter arripuit. ſed dum vltra, quàm ſolebant homines, temerarius ſcrutator acceſſit; redire non valens, poſtmodum non apparuit. Alius verò presbyter matrem ſuam Beneuenti reliquerat ægrotantem. cumque per Neapolitanos fines domino ſuo comitatum præberet, exundantibus flammis intendens, clamorem lugentis audiuit, quem ſuæ matris eſſe procul dubio cognouit. Notauit horam: & tunc euidentiſsimè comperit, matrem fuiſſe defunctam. Hæc Petrus Damiani. è quibus facilè conijcias, maiores noſtros conſtantiſſimè in ea fuiſſe ſententia, ignem Veſuuianum, tanquam Gehennam vmbratilem, à Deo nobis identidem oſtentari ad terrorem. Quod verò addit de Æthiopum prænunciatione fœnum geſtantium, ſimile quidnunc quoque contigiſſe narratur, nec tantæ cladi ſua defuiſſe præſagia. Multa circunferuntur in vulgus, quæ hactenus mihi ſunt dubiæ fidei inter ingentem calamitatem animis ad deteriora credenda, linguis ad narranda pronisſimis, in Vrbe præſertim rerum nouarum ſtudioſa, ferendis, augendiſque rumoribus nata. Fama eſt, Æthiopem ea ipſa nocte, quæ fudit incendium, cuidam viſum manu fœnum geſtantem, &, indicato Monte, dixiſſe magnam inde imminere cladem. rhedam præterea inter montis auia conſpectam, auditumque inſuſurrari ab ijs, qui vehebantur, expectari ferendæ flammæ Plutonis imperium. armatos demum è Veſuuio prodire viſos, ac faces incendio ſubdere. Illud horribilius, ſi auctor pro comperto haberetur. Dicitur in cœnobio ſupra tumulum ſito prope Herculanum monachus

Camal-

Camaldulenſis, per noctem reſerata feneſtra, qua proſpectus ad Veſuuium patet, armatos equites in Monte vidiſſe, quaſi ad bellum inſtructos, ſonitu etiam raucius inſonantis buccinæ exaudito. Nec reticendum cenſeo, quod certò didici, repertam in agro Nolano ſub eo, qui pluerat, cinere ſepultam tubam an fortuito, an prodigio? Neque hæc tantùm ex vrbe Nola narrantur monſtra. Effigiem humana maiorem, & giganteas vmbras vidiſſe ſe mulierculæ affirmant, teſtes impares tantæ rei. Gigantes etiam inter flammas olim viſos, Dio refert. Magnus profectò ſpectrorum artifex metus. Fortaſſe conflagrationem præſenſere mulieres, ne Veſuuiano incendio ſuæ deeſſent Caſſandræ. Nuntij inſuper accepti, in via regia extare ferarum veſtigia inſolentis figuræ recta Nolam verſus, hinc inde quaſi mathematico radio deſignata, interiectis indicijs, tractibuſque catenarum. In celeberrimo templo S. Mariæ, cui ab Arcu cognomen, viſam Deiparæ faciem animari, moueri, inditia doloris efferre: tum etiam illacrymare quidam citra dubitationem affirmant. Rumor incertus, & anceps de his ſententia pro cuiuſque ſtudijs & ingenio, dictantibus multis apud ethnicos quoque horum non abſimilia vel dolo ficta, vel metu credita. Illud hic ſingulare: ſed recenſendum inter fabuloſa, niſi foret ab ijs, qui auctoritate fidem extorquent, accuratè indagatum, & pro explorato habitum. Ruſticus, cui Io. Camillus nomen, ad villam ierat in Veſuuio ſitam ipſo diei paſchatis peruigilio. Ibi repente alto ſopore deprimitur incænatus. Non multò poſt, ſomno ſponte diſcuſſo, expergiſcitur. neque vltra loci facies, vbi dormire iam cœperat, oculis redditur. nouũ cælũ, nouum ſolum, noua regio. non vltra Mons viſitur arboribus conſitus; ſed murus longiſſimo ſpatio exporrectus, viam obſederat. Inerat muro porta igens. Obſtupuit ille nouo aſpectu: &, vbi nam locorum eſſet, exploraturus, portam verſus iter atripuit. excubantem ibi ianitorem offendit fratrem è familia S. Franciſci, ætate, vti præferebat aſpectus, adoleſcentem. Antonium Patauinum fuiſſe, multorum fert coniectura. Ab hoc ille primò in ſpeciem repulſus, tum introductus in atrium, indeque procul abductus, eo duce ad locum frequentibus ædifi-

Dio in Tito.

ædificijs conſitum peruenit. An id re contigerit; an (quod ſolemne prophetis fuit) per ſimulacra rerum obiecta menti; ſapientibus diudicandum relinquo. Ædificia ibidem horridiſsima ignem vndequaque vomebant, non tam ſaxis extructa, quàm flammis. Inferorum eas eſſe ſedes & ille facilè coniecit ex ſeſe, & à ductore didicit. Multos ibi ſe agnouiſſe narrabat infelicium domorum incolas infeliciores. Xenodochij prӕterea ſpeciem oblatam, & turbam flammas inter, & angues decumbentium: quoſdam etiam, addito ſupplicijs ludibrio, à nigris vmbris ad buſonem vorandum adactos, velut in pœnam indignè ſuſceptӕ Euchariſtiӕ, & hauſti ad mortem vitӕ pabuli. Inde traductum ſe ad Purgatorij, vt appellant, loca. Demum poſtero die redditum ſibi, ac Veſuuio: imperatumque, vt nunciaret, magnam ex eo Monte impendere accolis cladem: proinde in preces, ac vota incumbendum. Die ſacro Paſchatis ſub meridiem oppido reſtitutus: viſus ab oppidanis cinere inſperſus, fumoſa, ac nigrante facie, tanquam ex incendio euaſiſſet. Interrogatus à multis, qui quaſi ad oſtentum confluxerant, Ecquid illi accidiſſet? Narrauit omnia candidè homo antiquӕ ſimplicitatis: & futuram Veſuuij conflagrationem prope duobus ante annis pronunciauit. Ne morer pluribus, Amens habitus eſt; vt leuiſſimè, ebrius. Centies auditus: centies irriſus. nunc euentu probante oraculum, irriſio in admirationem verſa. Simile quid ante euerſionem Hieroſolymӕ vrbis contigiſſe, narrat Ioſephus, hominem è fӕce plebis, ac terrӕ filium quotidie clamaſſe, *Vӕ tibi Hieruſalem*, primùm ſibilo, ac riſu. tum virga, ac verberibus exceptum. Hӕc, horumque conſimilia in tectis, in triuijs, in angulis, paſſim cuncti narrant: multi credunt: quidam irrident: pueriles nugas, aniles fabulas, ſomniantium deliramenta, virgula cenſoria, ac ſeuero ſupercilio difficiles Ariſtarchi conclamant. Equidem neque hӕc temere probanda pronuncio, neque inconſultò irridenda. Par in vtroq; ſtulticia. Nempe afflicta Repub. & ſemel in deterius inclinata fortuna, falſa, vera, dubia, comperta, inania, ſolida nuntiantur: & ſæpe tenuiſſimӕ auditiones vnius ore ſubnatӕ quam citiſſimè adoleſcunt, Sed ſi veritas multis, vti aſſolet, intermiſta mendacijs excernatur;

Ioſephus de bello Iud. lib. 7. cap. 12.

tur;

tur; conſentaneè credi poteſt, tam ingentem calamitatem ſuis non caruiſſe præſagijs: vt intelligeremus hæc non ſine diuino numine, nutuque contingere, igne vltore ſcelerum ac diuinæ iuſtitiæ vindice: primam huic incendio facem noſtra inieciſſe flagitia: his flammam follibus euentilatam. Quamquam non inficior, ſuas hæc etiam naturales cauſas agnoſcere, quibus vtitur naturæ conditor, *diſponens omnia ſuauiter*. Has quoque cauſas vt breuiter attingam, admoneor. quod quò præſtari clarius poſſit, non accidet, niſi fallor, ingratum; ſi Montis huius aſpectum, ſitum, figuram, hiſtoriam, breui narratione perſtricta, quoad eius fieri poterit, oculis, animiſque ſubiecero.

Eſt Veſuuius, qui & Veſeuus Latinis dicitur, Poëtis etiam Veſuuius, Campaniæ Mons, ſeptem fere millibus paſſuum diſſitus ab vrbe Neapoli. cui Sol tum æſtate, tum hyeme quà è dorſo, quà è capite Montis enaſcitur, in aduerſum Pauſilypi collem occubiturus: vt mirum nou ſit, ex eo Monte per interualla ſeculorum ignem effundi, à quo quotidie cernimus ſundi Solem igneæ naturæ, vt quidam autumant, & (ſi Anaxagoræ credimus) glebam igneam Geminum (quod proprium habet, ac ſingulare) cælo caput attollit: vt vel vnum in duplici, vel duplicem in vno Montem agnoſcas. Diſſidium hoc ortum habuiſſe fertur ab incendio, quo antea inter ſe compacta ſub vno vertice latera diſſiluere per interiectam voraginem diametro vltra mille paſſus hiantem. Montem congeminaſſe, & non ſolùm bicipitem, ſed etiam dicas eſſe bicorporem. Voraginis huius meminere Procopius, Zonaras, & Dio; cui Veſuuius amphiteatri formam habere viſus eſt, Vrbi regiæ, in quam procumbit, ludos, & ſpectacula daturus, ſed ludos funebres, & ſpectacula tragica, Mihi verò pyramidis formam refert. nam margo per latiſſimam planitiem circumfunditur viginti trium millium paſſuum ambitu. Quòque Mons altius aſſurgit, eò latera arctius coëunt; donec ſenſim in pyramidem cuſpidentur. Gemina in vtroque faſtigio cuſpis, gemina pyramis, ſiue geminum nomentum in eo Monte ad vbertatem, & voluptatem luxuriantis ac veluti triumphantis Naturæ, ſiue omen incendij, geminus erectus condendo tanto cineri tumulus.

Procop. lib. 2. de bell. Goth. Zonaras, & Dio in Tito.

Gemi-

Gemina etiam bijugo Monti vtrinq. ſuffuſa planities: quarum altera mari, altera montibus cingitur. Tyrrhenum Veſuuio mare ſubſternitur, quod ex aperto conductum, ſinu illo beatiſſimo clauditur, quem Sirenum ſedem, & craterem argenteum lacte plenum admirata dixit antiquitas. Prima cernitur in ipſo crateris aditu ad plagam aquilonarem Neapolis, Vrbs regnorum prope æmulatrix, numero ciuium inter Italas facilè maxima, opportunitate mercium nobile Europæ totius emporium, amœnitate ſitus Bizantio non abſimilis. quippe mare procurrens & maris alluētes vndas complectitur: bis lunata in ſemicirculum, omen deficientis fortunæ: latere in campos excurrit: fronte iugis attollitur, corona collium cincta, & (ſi fas eſt dicere) Tyrrheni maris Regina. Veſuuium à læua proſpicit imminentem tantæ Vrbi, ſpectaturum, & ſpectandum. Inde inter beneficia cetera dulces manant aquæ, quæ partim obſtrictæ in riuos, atque in Regios aquæductus infuſæ, ad vrbanos puteos, fonteſque magna copia deriuantur, potu perbenignæ, ac ſalubres: partim labuntur in fluuium; qui ad Veſuuij pedes latiſſimos campos tortuoſis flexibus ambiens, mira fertilitate perfundit, atque hinc, inde arboribus inumbratus, leni, & vix ſub aures cadente murmure, lapſuque placidiſſimo aquas in vicinum mare demittit. amnis quidem perexiguus, & impar tanto Monti progenies, ſed Poetarum carminibus, & Sebebethi nomine celebris, fama maior, quàm alueo Non procul hinc ad Veſuuij radices frequentibus pagis, caſtelliſque conſperſas celeberrima oppida, Herculanum, & Pompeij, pæne dixeram, ſedent, deceptus recenti memoria priſtinæ felicitatis. Dicendum potius, iam ſederunt, deſederunt, nunc vana nomina, & nihil præter cinerem, ac ruinas, documenta poſteris, Vrbes quoque eſſe mortales. Inde qua littus flectitur ad meridiem, viſunter antiquæ Stabiæ, ſeu potius vmbræ antiquarum. Secundùm has, æſtiuæ deliciæ, Surrentum: cui breui ſpatio iungitur Maſſa Lubrenſis, peruetuſta Mineruæ ſedes, à qua Promontorium appellationem accepit. Hinc anguſtiſſimo, ac procelloſo freto diremptæ Capreæ, Inſula Tiberij domicilio, qui Vrbem Seiano dilacerandam dederat, non tam nobilis, quàm infamis, nempe flagi-

flagitiorum latebra. Hæc in Auſtrum obuerſa, in altiſſimam ſe rupem attollens, certare videtur culmine cum Veſuuio, quem rectà proſpectat è mari: ſed aſpectu ipſo humilior deprehenditur, & infra Veſuuianum iugum. Hic ſitus Montis ex ea fronte, qua mare deſpicit, & cadentem Solem ex altera vero qua Solem naſcentem excipit, in ampliſſimam Palmæ planitiem deſinit, atque arua latiſſima. Iacent ſub eo Veſuuij vertice, quaſi ſub vmbra, ac tutela Montis, innumerabilia per campos oppida. Inter quæ vrbs Nola conſpicitur, tum Felicis, ac Paulini memoria, tum Annibalis clade, quem prima docuit poſſe vinci, & Marcelli victoria, celebris. Hàc Veſuuius Appenninis montibus iungitur, qui dorſo Italiæ totius impoſiti ad Alpes vſque tenduntur. Ab ijs tamen inter ſe tractim connexis ſuperba quadam oſtentatione diuulſus, & in ſemet fidens, longè altius tollitur, quaſi ceteris imperaturus. Per tria paſſuum fere millia euaditur ad cacumen. Ad medium vſque Montem iter clementiſſimum, cliuo ſenſim fallente, & leniter accliui. reliquum verò præruptum, & aſperum; vt ad apicem non tam ambulando, quam reptando enitare. In vertice non parua planities: quamuis Mons ex imo cernentibus appareat faſtigiatus in cuſpidem, vnde longè, lateque deſpectus patet ad cãpos, & maria. Tota inde Campania proſpici poteſt vnico proiectu oculorum, quaſi ſedens ſub vnius Montis imperio quod in tyrannidem, ac vaſtitatem euaſit. Certè nihil Veſuuio, vt ira, æſtuſque detumuit, aut iucundius, aut vtilius. Totus ex orientali latere, qua continenti iungitur, culturæ patiens. Summa ſui parte nemora procera, & antiqua ſuſtinet, Montis vertici capillamentum: quo, dum per hyemem albet niuibus, quaſi canitiem oſtentat. Inde cæduæ trahuntur ſyluæ ſiue ignis pabulum, ſiue nauium materies, deſtinatæ aut flammis, aut aquis. Montem reliquum ex vmbilico ad ima vites veſtiunt: quæ non, vt pleriſque in locis, repentes humi, ſed altis adnixæ populis, ramis vtrinque multiplici flexu implicatis, mutuo complexu in arbuſta conſurgunt: vt mirum non ſit, dici à Floro *inter Campaniæ montes amictos vitibus pulcherrimum omnium Veſuuium*, Pulchritudini reſpondet vbertas. Integrum quandoque ex vna

Florus lib. 1. cap. 16.

vite

vite dolium repleri affirmant. Vina habentur in pretio tum ſapore, tum robore, vinetis latè aprican tibus, & Sole percoctis, arenoſo etiam ſolo humoris luxuriem depaſcente. Incendium, niſi aqua domentur, venis excitant, in quo agnoſcas Veſuuium. Prima nobilitas albis, quæ Græca vocitant peregrina etiam ad vites traducta litteratura. Sanè ijs Græca fides. Quippe largius epota, dum palato, ac ſtomacho blandiuntur, capiti moliuntur inſidias, mentemque dimouent Baccho perfuſam. Laudantur etiam rubra, ſucco apud omnes nationes inclyto. lacrymas appellant, funeſtum omen Montis in vtraque fortuna lacrymabilis. Solum, quamuis vina fundat abunde; olerum ſemina non reſpuit. & nunquam feriata tellus, eodem tempore & vitibus, & ſeminibus pabula, ſuccumque ſufficit, quodque captum ſuperat, nullo flumine, nullo ne riuulo quidem, aut ſonticulo irrigata. Par in occidentali Veſuuij fronte fertilitas, ſed non vbique conſtans. nam quà Neapoli iungitur, omnia non ad fœcunditatem ſolùm, ſed etiam ad voluptatem compoſita. Montis ferè ſemper herbeſcens viriditas, qualem nulla ars pennicillo imitari, ſola naturâ nutu poſſit effingere. Cæli ſẽper verna temperies, quæ omnes anni partes pari amœnitate percurrit, Quod cauſæ eſt, cur non ſolùm villæ, ac prædia, ſed oppida quoque, pagique plurimi quà lateri, qua margini Montis inſiſtant. Viſuntur hic horti lectiſſimi, arte, manuque conſiti. inter quos longæ ambulationes contameratæ in fornices, buxo myrtoque contextæ in multiformes aſpectus ductili. Syluæ aureis pomis refertæ, Vere per hyemem in frondibus prope ſmaragdinis perennante. Fontes inter gemmea prata pellucidi, aquas per tubos exilientes marmoreo labro exudante. His Veſuuius blanditijs cineri præludit, ac flammæ. Quanquam ex eo latere, quo demittitur in oppida, Pompeios, & Stabias, ipſe ſibi conſtat, ac ſe verè prodit Veſuuium. Horret ibi ſaxis exeſis; tetris, peruſtis, quæ vetus ad huc incendium ſpirare, & nouum minari videantur. Inter hos tamen præruptos ſcopulos verius, quã rupes, virgulta quædam ſponte naſcuntur; quæ ignis pabula maximè ad coquendos panes accommodata, non mediocre lucrum apportant: vt vel ipſa Veſuuij ſaxa, dum flagrant,

flagrant, nobis aurum excudant. Demum ne ipſa quidem vorago fructu vacat, & lucro. Inter ipſos hiatus perforati montis, & terræ dehiſcentis abſceſſus, quà gemino interiecta vertici vallis decubat, paſcua læta reperies, æſtate alendo pecori aptiſſima. Nam, quæ imminent annoſæ quercus, æſtum ingentibus ramis propellunt, mitius inter vmbras cadente Sole. Patuere cælo Montis viſcera; vt ſe totum nobis euiſceraret ad fruges, aurum certè nullo foſſore daturus, ſi condidiſſet. Quanquam quæ fodinæ tantum auri contegunt, quantum Veſuuius exhibet? Decies fere centum millibus aureorum æſtimatur id, quod ſingulis annis ex hoc Monte deuehitur. Tantum in vno iugo ad humanam vitam præſidij parens Natura conſtituit. Sed profectò nihil ex omni parte beatum. Rara omnino apud mortales, aut nulla eſt ſyncera felicitas. Ingentibus bonis ingentia mala eadem Natura permiſcuit, non (vt quidam rentur) ex parente nouerca, & odio planè nouercali, ſed ſapientiſſimo conſilio cauens, ne animum ineſcaret nimia dulcedo fortunæ. Ex eodem Veſuuio vina, & flammæ; ſegetes, & cineres; annona, & vaſtitas; pabula, & clades; vita, & nex. Ambigas, an plus inde detrimenti vno die, quàm vno ſeculo emolumenti proueniat. Non ſemel arſit incredibili Campaniæ totius pernicie, cuius toties funus elatum; quoties funereis facibus præluxit Veſuuius. Huius à Chriſto nato conflagrationes duodecim ante poſtremam hanc, quam oculis hauſimus, hactenus ex hiſtorijs comperi.

Sueto. & Dio in Tito. Plin. iun. lib. 6. in epiſtol. ad Tacitum. Oroſ. lib. 7. c. 9. Niceph. lib. 3. c. 12. Cedrenus in epitome. Zonaras lib. 2. annali. Sabellicus enn. 1. lib. 6. Io. Boccac. in tract. de mon.

Prima conflagratio contigit Anno octogeſimo primo, Kal. Nouemb. hora ſeptima, cuius meminit Suetonius, Dio, Plinius iunior, Oroſius, Nicephorus, ac plerique alij. In hac conflagratione, vt ait Dio, *cinis duas Vrbes, Herculanum & Pompeios, populo ſedente in theatro, penitus obruit.* Corruerant etiam hæ paulò ante ſub Nerone, breui poſtea interuallo inſtauratæ, illata quidem ab eodem Veſuuio clade, non publicitus per exilientes flammas, ſed latenter per interclusos ſpiritus, ac terræ concuſſionem. Id cauſæ eſt, cur hanc inter Veſuuij conflagrationes non numerem. In quo à veritate deflexit Io. Boccacius in tractatu de Montibus, vbi Veſuuianum ſub Nerone refert incendium; cùm ſub eodem

nulla

nulla incendij mentione facta, terræmotum referat Seneca, fortaſſe ad Neronianas cædes contremiſcente tellure, ſuppreſſa intra Montem flamma, neque audente Veſuuio certare de ſæuitia cum Nerone. Lapſi etiam videntur Euſebius in Chronico, & Platina in Benedicto II. quorum alter hoc incendium ad Neruæ: alter ad Traiani tempora referunt; cùm ceteri omnes recenſeant idem ſub Tito. Neque diſcrepat Nicephorus teſtatus *Veſuuium euomuiſſe incendia ſub Veſpaſiano*. nam hic vnà cum Tito imperauit, iunctis Imperij faſcibus. De hoc eodem incendio loquitur Tacitus, qui, cùm deſcripſiſſet Parthenopæi crateris fatigatas Tiberij luxu delitias; *antequam*, inquit, *Veſuuius mons ardeſcens loci faciem verteret*. Extat ad eundem Tacitum de conflagratione hac Plinij iunioris epiſtola, in qua auunculi ſui obitum ab obliuione vindicatum, poſterorum memoriæ conſecrauit. Præerat ille claſſi maritimæ Miſeni, cùmque Veſuuianum incendium propius inſpecturus, quadriremi Stabias acceſsiſſet; inter igneos afflatus intercepto ſpiritu interijt, ſcribendi, quàm viuendi peritior. Præbuit viro de Natura an optimè, an peſſimè merito cum nece rogum Veſuuius, qui Baſſum etiam poëtam neſcio quem, vt Abulenſis teſtatur, vorauerat, Ætnæ in hoc quoque æmulator, cuius hiatus Empedoclem condidit.

Senec. in lib. de terræm. — *Euſeb. in Chr. Platina in Bened. II.* — *Niceph. lib. 8. cap. 12.* — *Corn. Tacit. Annal. lib. 4.* — *Plin. iunior epiſt. cit.* — *Abulenſ. parad. 5. c. 101.* — *Horatius in Poetica.*

Secunda conflagratio contigit Anno ducenteſimo quarto ſub Seuero. Huius meminit è Dione Xiphilinus in Seueri Anno decimo, qui in hunc Chriſti annum incidit. Huc ſpectare incendium, de quo quaſi de ſeculi ſui lue, Galenus loquitur, facilis eſt coniectura; cum Seueri temporibus vixerit.

Xiphilinus in Seuero. Galen. lib. 5. meth. c. 12. — *Montanus in vita Galen.*

Tertia contigit Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Hanc tertio loco colloco. etenim, quam Maiolus refert à Ianuario compreſſam adhuc ſuperſtite, vt ſpuriam, ac nullius antiquioris teſtimonio fultam reijcio. Hanc verò non, vt in notis Martyrologij, Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo primo, ſed ſeptuageſimo ſecundo, ſupputandam eſſe ex eiſdem notis colligitur. vbi auctor teſtimonio nititur Marcellini in Chronico; qui hoc incendium non refert ſub Indictione nona, Leone, & Probiano Coſſ. vt per-

Maiolus colloq. 16. — *Baron. in notis Mart. ad 19. Sept. Marcell. in chron.*

peram in ijſdem notis, ſed anno inſequenti Indictione decima, Marciano, & Feſto Coſſ. ad quem Annum id etiam reuocant. Sigonius, & Procopius. Hoc incendium toti Europæ formidandum, Bizantinis cineribus nobile, clarius redditum, cùm Ianuarij patrocinio extinctum Ceſſit exinde Veſuuius velut in aram Martyris, & ereptus flammarum periculo terrarum Orbis Ianuarium aſſertorem agnouit.

Sigonius de Imp. Occid. lib. 14. Procop. lib. 2. de bell Goth. Baro. in notis Mart. lo. cit.

Quarta conflagratio contigit Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio. Meminit huius Procopius, teſtatus pluuios cineres in phœniciæ Tripolim decidiſſe.

Procop. lib. 2 de bell. Goth.

Quinta contigit Anno quadringenteſimo ſeptuageſimo quarto. Indicat hanc verius, quàm narrat idem Procopius; qui, cùm incendium retuliſſet Anni quadringenteſimi ſeptuageſimi ſecundi; addit ab eodem *Veſuuio illapſum cinerem Anno inſequenti, & altero*. Tria hæc per tres annos ſucceſſere ſibi continēti ſerie incendia, ne nos vno incendio defuncti, periculo etiam, metuque defunctos arbitraremur. enimuero creſcit quiete plurium ſeculorum, collecta ex lōgo rabies, quæ in plures annos effunditur: neque ſemper tāta vorago clade vnica ſatiatur.

Procop. ibid.

Sexta contigit Anno quingenteſimo duodecimo. Refertur à Sigonio, & (vt idem animaduertit) de hac ſcripſit Caſſiodorus celebrem illam epiſtolam, in qua grandiore ſtylo rei magnitudinem aſſequitur. Porro arguuntur erroris ij, qui eandem epiſtolam trahunt ad conflagrationem Anni quadringenteſimi ſeptuageſimi ſecundi: cùm Theodoricus, cuius nomine data eſt, regni gubernacula ſit aggreſſus Anno quadringenteſimo nonageſimo tertio.

Sigo. de Imper. occid lib. 16. Caſſiodor. lib. variar. ep. 50.

Baro. To. 10. Gual. in chr. ſeculo 4.

Septima contigit Anno ſexcenteſimo octogeſimo quinto. Huius meminere Sigonius, Sabellicus, Platina. Contigit autem ſub Conſtantino, non primo, vt quidam falsò, ſed quarto, vt auctor eſt Sigonius. Hanc recenſeo ſeptimam. Nam, quam alij contigiſſe narrant Anno quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, ſeu potius octauo, Anno poſt captam à Beliſario Neapolim (ſi Procopio credimus, ex quo id alij ſe fatentur hauſiſſe) non conflagratio fuit Veſuuij, ſed mugitus, quo audito, quaſi claſſicum præcinuiſſet, ſolitum à Monte

Sigon. de Regno Ital lib. 3 Sabell. Enn. 8. lib. 6. Platina in Bened. II. Theatr. vitæ hum. lib. 1. colum. 23. Procop. lib. 2. de bell. Goth.

bellum, hoc eſt, incendium timebatur, timore, vt euentus docuit, irrito. *Sigon.lib.7. de Reg. Ital.*

Octaua conflagratio contigit Anno nongenteſimo octogeſimo ſecundo, vt Sigonius, vel tertio, vt Baronius. Quippe Mons flagrauit ſub aduentum Othonis II. in Italiam, quẽ huic anno adſcribit Sigonius, proximè inſequenti Baronius. Hoc incendium, vt ſupra è Petro Damiani narrauimus, malorum Dęmonum facibus excitatum, Ioanni Neapolitanæ vrbis Duci, & Pandulfo Capuæ Principi funeſtiſſimæ fuit mortis auſpicium, igne Veſuuiano euadente in portentum, ac prope in cometen, claro plerumque ſanguine expiatum. Conflagrationem hanc octauo loco recenſeo. neque enim eam admiſerim, quam alij obtrudunt in Annum octingenteſimum ſeptuageſimum nonum: cùm hanc ſponte confingi appareat ex ipſomet teſte, quem producunt, nempe Eremperto; apud quem ne tenuis quidem huius incendij fumus. narrat enim tantummodo Saracenos ad Veſuuij radices caſtra poſuiſſe, indeque excurſiones feciſſe. quod non eſt è Mõte flammam exarſiſſe, ſed bellum. *Baro To.10.* *Petr.Dam. in epiſt. ad Dominicum Loricatum.* *Eremper. in chro. Longob.*

Nona contigit Anno nonagenteſimo nonageſimo tertio. Meminit Baronius ex Glabro Rodulpho monacho Cluniacenſi, ſcriptore illorum temporum. Ad hanc reuocanda ſunt ea, quę ex Petro Damiani diximus de Guaimario Salernitano Principe. qui, dum proxima poſt incendium nocte cum pellice, periculi ſecurus, metuque ſolutus concũberet; infelix ſubitò extinctus eſt, Veſuuiano igne, Tartarei veluti prodromo. Enimuero, cùm nepos eiuſdem nominis ex Caſinenſis Chronico, diem extremum obierit Anno milleſimo quinquageſimo primo; conſtetque auum deceſsiſſe in incendium referri commodè poteſt. ſi quidem inter obitum aui, & nepotis interualla temporum ſibi congruunt. *Baron.Tom. 10.* *Glaber Rodulph.apud eundem.* *Petr.Dam. epiſt cit.* *Caſſ. Chro.*

Decima conflagratio contigit Anno milleſimo trigeſimo ſexto. Huius meminit Anonymus Caſſinenſis in Chronico. Neque audiendi ſunt ij, qui Capaccij auctoritatem ſecuti, aliam ante hanc conflagrationem agnoſcunt Anno milleſimo vigeſimo quarto. nam idem dubitare ſe fatetur, an contigerit ſub Benedicto VIII. an ſub IX. ſub quo eam ponit Anonymus. cui, tanquam antiquiori, fidem concili- *Anonym.Caſſin.in Chron.* *Capaccius in hiſtor.Neap. lib.2.c.8.*

 liat

liat ipſamet ſuperioris æui veneranda canities.

Vndecima contigit Anno milleſimo centeſimo trigeſimo nono. Ita Falco Beneuentanus, & idem Anonymus Caſſinenſi in Chronico. qui refert, *per quadraginta dies Veſuuiū incendia eructaſſe*: ne ſcilicet diluuio aquarum mora temporis cederet, quod diebus totidem perdurauit, hauſitque Orbem terrarum. Hanc Anonymus collocat ſub Anno trigeſimo octauo. Sed videtur loqui pugnantia: cùm dicat, hoc anno incendij Romæ concilium celebratum de damnatione partis Anacleti, & obijſſe Rainulphum, Apuliæ Ducem. quæ quidem duo eueniſſe conſtat anno proximè ſequenti: ſub cuius faſtis refert incendium Falco Beneuentanus in Chronico, ſcriptor eorundem temporum. Ante conflagrationem hanc conſultò aliam omitto, quæ refertur à Leone Oſtienſi ſub anno milleſimo nonageſimo quarto, fatalis, vt Leo narrat, Pandulpho Capuæ Principi. Hæc autem contigit teſte Petro Damiani, cuius pæne eadem verba tranſcribit Leo, ſub aduentum in Italiam Othonis II. qui incidit in Annum, ſiue nongenteſimum octogeſimum ſecundum, vt probatur Sigonio, ſiue tertium, vt Baronio. Neque me fugit, eundem Baronium ſemet erroris accuſare, quòd Pandulphi huius mortem, anticipata plus æquo narratione, retulerit Anno nongenteſimo octogeſimo tertio, traducendam ad Annum milleſimum quadrageſimum nonum, quo conſtat Pandulphum Capuæ Principem è viuis ereptum. Sed profectò, niſi inſimulare velimus errati Petrum Damiani, & Deſiderium tunc Caſſinenſem Abbatem, poſtmodum Victorem III. cùm duo Othones Secundi Imperatores geminari nequeant; duo Pandulphi, Capuæ Princeps admittendi ſunt. Alter, qui vna cum Ioanne Neapolitanæ vrbis Duce, imperante Othone Secundo, è vita exceſſerit inter excurrentes è Veſuuio flammas, ſempiternæ vtrique flammæ prænuntias, quemadmodum paulo ante, ijſdem auctoribus, narratum eſt. Alter, ad quem multò poſt vita functum Leo Oſtienſis, ſimilitudine nominis deceptus, ea detorqueat, quæ priori Pandulpho à Petro Damiani, & Deſiderio Abbate ſub Veſuuianum incēdium tribuuntur. Nimirum ipſamet antiquitas tenebras offundit hiſtorijs, cùm multa per annorum lapſus intercidāt;

Falco Benen. & Anonym. Caſſinenſis in Chron.

Leo Oſt. lib. 2. cap. 84.

Petr. Dam in epiſt. ad Dominicum Loricatum.

Sigonius lib. 7. de Regno Italia.

Baron. Tom. 10.

Idem. To. 11.

&qua-

& quadam veluti fumoſæ vetuſtatis caligine intra temporum inuolucra condantur.

Duodecima conflagratio contigit Anno milleſimo quingenteſimo. Huius meminit Ambroſius Nolanus, ex quo Capaccius. Hanc quidam propterea reijciunt, quòd nulla à maioribus noſtris ad nos, traducente memoria, tam recentis incendij ſcintilla deuenerit. Addunt deceptum Ambroſium à cinere, qui ſub idem tempus Puteolis depluit. Equidem non facile adducor, vt credam hominem, inſtituto Philoſophum, patria Nolanum, ſurgentem in proſpectu Nolæ Veſuuium non diſcreuiſſe ab vrbe Puteolis. Hæ conflagrationes à Chriſto nato præluxere poſtremæ huic Anni milleſimi trigeſimi primi: cuius narrandæ prouinciam ſuſcepimus. Plures non adnumeratæ, quia veras à fictitijs excreuimus. Nullam ante Chriſtum Veſuuij conflagrationem agnoſcit Maiolus: ſed primam omnium recenſet ſub Tito, quod tum è Strabone colligit dicente, nunquam antea incendium Veſuuianum auditum; tum à Plinio, qui ſcriptor naturalis hiſtoriæ neque Veſuuium inter Montes incendio celebres collocat, neque eiuſdem inſanas eruptiones prænouerat, quando in eas imprudens incidit, ignorationem teſtatus interitu. Verùm in re apertiſſima hæ coniecturæ planè nihil efficiunt. Quippe Plinio Veſuuius excidit, quem non erat calamo nobilitaturus, ſed funere. In flammam verò Veſuuianam incidit videndi auidior, quàm viuendi; Dei numen, ac nutum, quem è medio planè ſuſtulerat, flammis vlſciſcente Natura. Quòd verò ad Strabonem ſpectat, ex eodem oppoſitum colligo: cùm ibidem animaduertat è cõbuſtis lapidibus iam tunc Monti adiacentibus præterita incendia conijci. Et verò Beroſus (ſi tamen Beroſus, & non alius quiſpiam ſuppoſititio nomine) incendium Veſuuianum omnium ætatum memoriæ antiquiſſimum refert his verbis. *Italia tribus in locis arſit multis diebus apud Iſtros Cymeos & Veſuuios: vocataque ſunt à Ianigenis loca illa Palenſana, id eſt, regio conflagrata*. Collocat autem hoc incendium ſub Anno trigeſimo ſecundo Aralij Aſſyriorum Regis VII. qui vixit anno Mundi bis milleſimo, centeſimo nonageſimo ſeptimo diluuij quingenteſimo quadrageſimo primo:

Maiolus coll. loq. 16.
Strabo lib. 5. Georg.
Plin. lib. 2. c. 7
Beroſus antiquit. lib. 5.

Io. Annius in locum cit. Beroſi.

Poſſeuinus in Bibl. lib. 1. c. 16.

Lucr. lib. 5.

vt non multò poſt diluuium aquarum has ignis excurſiones, veluti prænuntias haberemus ignei diluuij, claudentis vitæ humanæ fabulam; conflagratione Orbis terrarum. Huiuſmodi incendium eodem fere tempore eueniſſe traditur, quo aduentus Phaëthontis in Italiam. Quamobrem anſam exiſtimatur dediſſe fabulæ, quòd Phaëthon ſolaris currus auriga nouus, deuios equos tractandi neſcius terras peruſſerit. quibus adumbrabatur Veſuuianum incendium, Solis, vt putabant, ſolito ardentioribus radijs excitatum. Hæc ex Ioanne Annio Beroſi interprete. Neque Beroſus, aut quiſquis auctor ille fit apud Poſſeuinum, & pleroſque ſuſpectæ fidei, incorruptis teſtibus deſtituitur. nam Lucretius ità cecinit.

Qualis apud Cumas locus eſt, montemq; Veſeuum.
Oppleti calidis vbi fumant fontibus auctus.

Lambinus in Lucret.

Florus lib. 3. de bel. Spartaco c. 26.

Vitruuius lib. 2. c. 6.

Diodorus Siculus. lib. 4. Bibl.

Strabo lib. 5.

Plin. lib. 3. c. 5.

Quamuis hunc locum aliter legant alij, reponentes perperam contra metri leges, Miſenum, pro Veſeuo. Florus etiam refert, prope Nolam obſeſſos à Clodio Glabro in bello ſeruilis ſeruos, per cauas Veſuuij fauces viteis funibus occultè lapſos, repente in hoſtes irrupijſſe improuidos, nec opinantes. Cauus ergo iam tunc per patentes fauces ad imam voraginem aditum præbebat Veſuuius, non dubium antiquioris conflagrationis indicium. Strabo præterea fertilitatem camporum, qui ſub Veſuuio iacent, cineri adſcribit ſæpius in ea loca delapſo, His accedit Vitruuius teſtatus, *incendia Veſuuij antiquitus abundaſſe*. Adſtipulatur ijſdem Diodorus Siculus. Qui quidem omnes floruere ſub Auguſti imperio. Addit Diodorus, *campos Phlegæos dictos à colle, qui olim plurimum ignis Aetnæ inſtar euomens, nunc Veſuuius vocatur*. vnde liquidò colligas, Montem hunc antiquiſſimè Phlegram dictum, campos Veſuuianos, Phlegræos, aſſentientibus Strabone, & Plinio, à quibus id hauſit Sabellicus. Hi (vt idem animaduertit) campi ſunt illi Phlegræi, quos mendacijs Græcia inſperſit ſuis, cùm cecinit, bellarum in ijs à Gigantibus contra Deos, debellatis primùm ab Hercule, qui ibidem Herculanum condidit, tum fulmine, & igni hac illac deiectis, fulmina, & ignes etiam num regerentibus aduerſus Cælum. Itaque ex antiquiſſimis confla-

gratio-

grationibus Mons hic ſedes Gigantei belli confictus, & Phlegra dictus, poſtmodum Veſuuij nomen accepit, quæ vox, hauſta fortaſſe ſignificatione ab antiquioribus Græcæ linguæ fontibus, idem ſignificat (vti teſtatur Galenus) *ac ignem emittens*: vt inſitum Monti huic incendium ipſamet ſonet, ac ſpiret nomenclatura. ac tum demum ignem emittere deſinat; cùm deſierit eſſe Veſeuus. Meminere etiam Veſuuianæ flammæ inter Patres, Boëthius, ac Tertullianus: ille his verſibus, *Galen. lib. 5. meth. c. 12.* *Boeth. lib. de conſolat. metro 4.*

Aut ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumiuomos Veſeuus ignes.

Tertullianus verò in Apologetico contra Gentes, vbi Chriſtianam religionem ab ea calumnia vindicans, quòd calamitates Romano imperio importaſſet, *nec Tuſcia*, inquit, *atque Campania de Chriſtianis querebatur, cùm Volſinios de Cælo, & Pompeios de ſuo Monte perfudit ignis*. Hæc ille è quibus non obſcurè aſſequi coniectura licet, Veſuuianum incêdium ante Chriſtum, quo etiam conflagrarint Pompeij, cui oppido familiare malum conflagratio. Quippe ſi id, quod Tertullianus recenſet incendium, contigiſſet poſt Chriſtũ, corroboraret eo argumento ethnicorum calumniam, non eneruaret. Denique controuerſiam dirimit Dio, qui narrãs incendium à Veſuuio excitatum ſub Tito, apertè teſtatur, *hæc in eo fere quotannis fieri ſolere*. Hinc arguas multò ſæpius, quàm adnotauimus; arſiſſe Veſuuium. Sed minora quidem incendia, quibus ob aſſiduitatem animus occalnerat, ab hiſtoricis neglecta: clariora verò luci, ac memoriæ mandata, & veluti fauillæ tranſmiſſę ad poſteros. Inter ea omnia poſtremum hoc, quod adhuc viuit incendium, non poſtremum obtinet locum. Conuenere in id vnum, quæ apud veteres annales in ceteris diſtributa reperio, pluuia cinerum, iactatio lapidum, torrentes ignei. Illa ſingularia, & quæ priorem memoriam ſuperant, Veſuuij bombus auditus non in Apulia ſolùm, ac Samnio, ſed etiam vltra Adriaticũ in Dalmatia: lapis pluuius non modò, vt ſub Tito; in agro Veſuuiano, ſed procul quoque in Melphitano, vbi ferro inſuper pluit, & chalybe: cinis vltra primam aëris regionem euectus, & ad decem fere millia paſſuum ſupra Montis apicẽ *Tertul. apol. contra gen. cap. 40. Idem in lib. de pallio. c. 2.* *Dio in Tito.*

elatus, mathematico Quadrante altitudinis exploratore. Fons prope Pompeios in cœnobio monachorum S. Petri Celeſtini ſimul aqua manans, & igni, parua quædam Montis per id tempus flamma, & vnda debaccantis, effigies: aquarum vnà cum ignibus erupto, quæ ſola vaſtitatem importaſſet: ignis indeptus maria, & in vndas, quaſi in alienam ditionem, intruſus, per decem dies, & eò amplius exardeſcente fluctu; hæc profectò antiquitati noua, futura fortaſſe poſteritati vnica. Illa etiam admirabilia, atque antea vix audita. Quercus duæ è Monte diuulſæ, & halitu igneo in viam publicam exturbatæ inter Herculanum, & Pompeios, radices ibidem ſubito iecerunt ex ſeſe; flamma ipſa veluti conſerere condiſcente. Arbor alia eradicata, verſas cælo radicum fibras oſtentat, ramis terræ ſuffixis, inter clades Naturæ luſus. Prædium integrum prope Herculanum cum arboribus, pecudibus, caſa; è ſedibus diuulſum ſuis, atque inaltum elatum, mox eodem ſpiritu ductum longius: vt, mutatis vicibus, cùm ignis tellure deflueret, tellus per aerem volitaret. Non defuit aliquid inter tot lacrymas riſu dignũ. Cella vinaria, dimota ex agro Nolano, procul inde ad Palmæ planitiem integra vnà cnm dolijs traducta, quæſita, reperta. agnitum ſolum, parietes; fores, dolia. Solum integrum. parietes erecti, fores obſignatæ, dolia intacta, ſedem non fortunam mutauerant. Quod ſubdo, minus ad ſpeciem, ſed non extra oſtentum. Vidi ego Herculani, quæ inter bituminatas flammas obduruerant, mella planè ſaxea, nouo prodigio priſcis aduerſante, neque vt olim, *mel de petra*, ſed

Deuter. 32. è melle petram reddente. Allatum eſt etiam humanum caput, quod ſpeciem lapidis induerant, tanquam è lapidicina recens exciſi, caput hominis dicebatur. lapidem ego eſſe, iureiurando affirmaſſem; niſi minuta etiam lineamenta vertices, &, quæ nulla confingi arte poterant, officulorum vertebræ fidem miraculo ita feciſſent, vt circumferri inhumatum religioni duxerim. Ouidianas metamorphoſes, &

Plin. lib. 2. c. 103. Niobem quaſi Gorgoneo Meduſæ aſpectu obuerſam in lapidem, fabulis decantatas, inter hiſtorica prodigia comperi, non iam Silari flumine, vt auctor eſt Plinius, iniecta omnia reddente lapidea, ſed igneo, & bituminato torrente. Iam

vero,

verò, quod ad perniciem attinet, vicimus profectò maiorum memoriam clade noſtra. Oppida Pompeios, & Herculanum nouimus, Veſeuo conflagrante, Tito imperante, euerſa. Nihil tum de pagis alijs traditum. Contumulati nunc cum Pompeijs, & Herculano multi pagi, atque oppida condecorauere cladem. Plures, quàm triginta, numerantur. S. Georgij, S. Sebaſtiani, Boſchi, Maſſæ, Nouellæ pagi funditus periere. Nihil pœne in his flammam euaſit, non domus, non caſa, non arbor, non ſtipes, non res, non recula. Octauianum, oppidum Octauiani Medicei ditioni ſubiectum, Octauiani Auguſti hoſpitio nobile, Retina, Porticus, Trochia, Pollena, Summa, à quo oppido Mons apud Italos appellationem accepit, magna ex parte vel diruta, vel ſepulta. S. Anaſtaſius, Barra, Leuco petra, non fuere ſine querela. Nolæ ampliſſima Virginum cœnobia collapſa: plurima etiam ſpoliata imbricibus tecta non tegunt. In pagis Mariliano, Bruſciano, Ciſterna, Siciniano, Pomiliano, Caſtronouo magna ex aquis, & cinere clades accepta. Mitto Montemfortem, Abellinum, Tripaldam, Forinum, Solophram, aliaque oppida non pauca, quæ, quamuis procul à Veſuuio diſtent, præſentiſſima tamen damna ſenſerũt. Quinque ferè millia hominum hoc incendio extincta creduntur Tanta internicione iuſtæ diuini Numinis iræ parentatum eſt. Iactura bonorum, quam auget præcipuè agrorum vaſtitas, & armentorem clades, tanti à peritioribus æſtimatur; vt magnitudo ipſa minuat fidem. Supputatur ſumma bis centies centum millium aureorum. Ita in eo lapidum iactu dilapidata bona Campaniæ pœne totius: & tot ſeculorum opes in vnius diei rogum congeſtæ. Equidem, quid de tam ingenti iactura omnino, & ad amuſſim ſentiendum ſit, non decerno. Expendat quiſque pretium ad ſuæ lancem prudentiæ. Illud generatim affirmo, quod à cordatis ſæpius audio, in ceteris famam dicendo inualeſcere; in Veſuuiano incendio minorem eſſe famam, quàm flammam. Neque id mirum. Nempe Veſuuius (vt ille, qui olim Dianæ fanum incendit (famam ſibi captauit à flamma: quæ tamen ne ipſi quidem pepercit. Integrum perſtare ex vtroque latere Montem, dum flammis cetera diruit, mirantur Caſſiodorus, & Dio. *Caſſiodor. lib. var. ep. 50. Dio in Tito.*

Dio.

Dio. nunc non prius in ruinas aliorum incubuit, quàm ſibi pararet ſuam. Erat Veſuuius, vt modò diximus, biceps, geminis, ac prææltis rupibus in cælum erectus. atque in eo vertice, quò mari ſubiecto imminebat, vorago quædam ſpectabatur perexigua, quæ nihil de acuminato, ac veluti turbinato faſtigio detrahebat. Hæc ſi Octauiani oppidi incolis, qui eo venatum itabant, habenda eſt fides, paucis ante conflagrationem diebus obſtructa eſt, lateribus inter ſe coeuntibus. Omnia quippe venatores in ſummo Monte plana, & æquata ſe reperiſſe teſtantur. Quæ ſubita obſtructio, profectò admirabilis, oriri aliunde non potuit, quàm à ſubterraneis ſpiritibus, qui ſubſtratum voragini ſolum ad Montis vſque cacumen extulerint, hiatumque præcluſerint. Hinc factum arbitror, vt flamma, cum ſæuire cœpit incendium, non è faſtigio, ſed (vt plerique conſtanter affirmant, qui rem attentius, ac propius inſpexere) è latere Montis erumperet, nouis hiatibus patefactis. quibus poſtmodum materia decidua facilè oppletis, flammæ, ac ſpiritus, dum in ſublime tolluntur, ac priori retecta voragine, priſtinum exitum retentant, ipſum Montis apicem exturbarunt, quaſi obtruncato Veſuuij capite in ipſa molitione criminis. Conceſſum ſanè communis ruinæ ſolatium, ſupplicium eius, qui intulit: &, ſi ſub tantam cladem iocari licet amarius, Mons tanquam publicus incendiarius multatus eſt. Iamque ex occidentali latere ſine vllo culmine apparet, magna etiam ſui parte deiectus. Ducentis ferè quinquaginta paſſibus geometricis, ſi cum altero Montis vertice conferatur, decubuiſſe Mathematici deprehenderunt. Deſæuierat olim flamma in montis viſcera, innoxijs ijs quæ preminebant: nunc apex & collum euanuere, tūc euiſcerato, nunc decurtato Veſuuio. quantumq; accreuit hiatui, tantū de monte decreuit, plane in voraginem deceſſuro, ſi vlterius flamma graſſetur. Non defuere quidam paucis ante diebus auſi procumbere ad os varaginis, qui affirmant eam ſolo terminatam, (quātum oculo iudice conijci poterat) mille fere paſſus de ſidente infra crepidinē: fumū nouem ibi è caueis in ſublime ſubmitti magno montis murmure, illique ſimillimo, quo intra caminos crepitare ſolet ignis dum eſtuat fumeos per foramina turbines, multi colores aſ-

ſurge-

ſurgere, quà nigricantes, quà candicantes, qua ſubuirides, quà ſubruſos pro materiæ diſcrimine, vnde ducuntur: primùm ferri diductos; tum ſenſim coire, donec circa Montis cacumen coaleſcant in nubem: à qua nos adhuc cineream procellam, atque imbres igneos formidamus. Hic ſtatus Montis, dum hæc ſcribo.

Cauſa, & origo conflagrationum, vt extrema narratione ad hanc tandem accedam, à quibuſdam refertur ad congreſſiones, aſpectuſque ſyderum: nimirum cum exorbitans octauus circulus in Martis afflatum igneum incidit. Ego imbecillis eſſe duco ingenij, ad latentes, & generales cauſas confugere in ijs, quæ apertas, & propiores agnoſcunt. Sinamus, quæſo, ſydera ſcintillare innoxia: & incendiarum terris deprehenſuri, Cælum tanto crimine liberemus, Aſtrologis aſtra incuſantibus à quibus ipſorum mendacia verius accuſentur. Alij, vindicato ab ea calumnia Cœlo, cauſam ſubterraneis ignibus tribuunt, Veſuuij viſcera exedentibus quæ exeſa, & exuſta cogatur egerere. In hanc, quia plana videtur, captuque perfacilis, multi pedibus iuere ſententiam: à qua ego magna ex parte diſſentio. Non inficior, multa loca ſubterraneis ignibus ardere. ſed aio ea, quæ ſic ardent, loca die, noctuque viciſſim fumum, ac flammam exhalare. Ita montes Olympus, & Theon in Æthiopia; Chimæra, & Hephæſtij montes in Lycia, Cophantus in Bactris, Ceſtia apud Medos, Argeus in Cilicia, Hecla, & Helga in Islandia Vulcanus in inſulis Aeolijs, Aetna in Sicilia, & ne longè diuager, Puteolis ipſi prope Veſuuium. In his fere fumus apparet interdiu, & ſaltem noctu flamma collucet. Quod animaduertens Ariſtoteles, *Flagrant*, inquit, *in Medijs, & Pſittacinæ gentis, ac Perſidis confinio ignes; quos quidem interdiu, noctuq; percipere licet qui vero in Pamphylia cremant, noctu duntaxat percipi poſſunt*. Vehementiſſima vis eſt ignis, dum caminis occluditur; & mox, facto ſibi ſpiramento, foras erumpit. Porro Veſuuium videmus per integra ſecula conquieſcere, nullo vnquam flammarum, nullo fumi veſtigio. Quis credat, ignem perpetuo ſub eo ardere conſopitum, ac nullo ſe prodentem indicio, excitandum poſt ſecula? Clauditur intra Veſuuium vis ingens bituminis, nitri,

Io. Annius in Beroſi antiq. lib. 6.

Plinius lib. 3. c. 106. Ariſt. de admiran. audit. 33. & 123. Maiolus coll. 16. Conimb. in Meteor. tract. 12. c. 3.

Ariſt. de admir. 33.

nitri, ſulphuris. ſi æterna ibidem flamma clauderetur: cur per tam longas moras à paratiſſima ſibi materia temperaret? Nunquam ſanè otiatur ignis: admotam eſcam corripit incredibili voracitate, rerum heluo: neque profectò, quaſi ſecularibus pactis inducijs, tamdiu abſtinuiſſet à clade, ſi tamdiu ſub Monte vixiſſet. Quod verò ſcribit Amproſius Nolanus, conſueſſe aliquos Auguſto menſe ſe in vaporaria conferre ad Veſuuium; id referendum non eſt ad flammas, quæ indidem perpetuò fumum exhalent; ſed ad vapores ſpiritibus calidis immiſtos, ſulphureo infuſos halitu: qui capiti tum exiccando, tum etiam roborando hauriuntur ſalubriter. Equidem non negauerim, perennes aliquando ignes arſiſſe ſub Veſuuio: ſed per idem tempus fumo, flammaque ſe prodidiſſe arbitror, eodem planè modo, quo Ætna, monteſque ceteri, qui ignes nutriunt. Luculentiſſimum huic ſententiæ teſtimonium ferunt Dio, Solinus, Procopius, Florus, Caſſiodorus. Dio in Tito de Veſuuio loquens, *Fumum*, inquit, *interdiu, noctu flammam reddit; ita vt in eo ſuffimenta cuiuſuis generis fieri ſemper videantur*. Solinus, *quod*, inquit, *in Campania Veſuuius, in Sicilia Aetna; hoc in Lycia mons Chimæra eſt, nocturnis æſtibus fumum exhalans*. Procopius inter cetera, quæ de Veſuuio refert, *ignem*, inquit, *ex ima parte exiſtere quiuis poterit conſpicari, qui in eius voraginis ſupernum os auſit procumbere. inde & flamma in ſemet confota altius excitatur: nulli tamen eius regionis hominis negotium exhibet*. Florus Veſuuium eſſe affirmat *Aetnei ignis imitatorem*. Denique Caſſiodorus in epiſtola, quam prælibauimus, Veſuuium appellat *perpetuum fornacem, arenas emittentem puniceas*. Cùm igitur multis ab hinc ſeculis neque ignis, vt antea, conſpiciendum ſe præbeat per os voraginis; neque inde viciſſim per diem fumus, per noctem flãma reciprocent: iure conijci poteſt, Veſuuij ſubterraneos ignes per plures, & ingentes excurſiones auolaſſe. atque adeo, cùm nullum, niſi per interualla ſeculorum, fumi extet indicium; nullum ibidem perpetuò ignem occludi, ſed præuio materiæ apparatu per interualla progigni. Huius origiginem inde petendam duco, vnde origo petitur ignis, qui è nube proſilit, quando in tonitrum, ac fulmen eliditur. Nubes

Ambroſ. Nolanus de ſitu Nolæ lib. 1. c. 1.

Dio in Tito.

Solin. c. 40.

Procop. lib. 2. de de bell. Goth.

Florus lib. 1. cap. 16. Caſſio. var. Epiſt. 50.

bes

bes quippe crebrius, quàm Montes, ſuis quoque exardeſcunt incendijs; quæ hoc ferè modo excitantur. Tolluntur ſpiritus calidi vi Solis è terra, aquoſis immiſti vaporibus, atque vnà quodammodo peregrinantur. dumque in aëris regione media, vbi grando, niueſque gignuntur, incremento frigoris conſtipati vapores humidi concreſcunt in nubem: ſpiritus, quaſi hoſte obſidente, per antiperiſtaſin inter ſeſe coeunt, & collecta vi acrius incaleſcunt. Vt incaluere, laxantur: nam calor partes laxat, quas frigus addenſat. laxati ſpatioſiorem ſedem expoſcunt. nubes, ne perrũpant, obſiſtit. illi ad latera nubis eliſi, atque ipſamet conflictatione, ac motu ſuccenſi, nube tandem diſrupta, eduntur in tonitrus, micant in fulgetra, erumpunt in fulmina, terrores mortalium, excidia turrium, clades montium, Eidem planè cauſæ Veſuuiana, quæ identidem exiſtunt incendia, adſcribenda cenſeo. Par conflagrationis vtriuſque conditio, & eius, quæ intra nubium, & eius, quæ intra terræ viſcera, gignitur. In hac quoque Mons intonuit: micuere fulgetra: exertati lapides ignei, vera fulmina. In eruptione fulminum concuſſio aëris; in eruptione Veſuuiana terræmotus contigere. ex eadem autem cauſa proficiſci docet in meteorologicis Ariſtoteles *in terra terramotum, in nubibus tonitrum.* *Ariſt. lib. 2. meteor. ſum. 4 cap. 1.* Delitet intra Veſuuij receſſus, perennis non quidem ignium, ſed calidarum exhalationum copia. pars è vicino mari ſuffunditur: nam ijs mare abundat, vnde ſalſedo. pars è cauernis Puteolanis traſmittitur, breuiſſimo interuallo diſiunctis; quæ perpetuis ignibus æſtuant. pars intra Montis gremium virtute Solis efficitur: qui, quemadmodum aurum, argentum, ac metalla cetera, ita etiam in terræ ſinu ſpiritus procreat, ſiue ſolari calore per meatus traducto, ſiue latenti, & occulta vi. Quapropter Ariſtoteles, *à Sole*, inquit, *in terra multus quidem extra, multus quoque intra ſit ſpiritus*. *Ariſt. lib. 2. meteor. ſumma 3. c. 2.* Cõprobat hoc idem olei ſcatebra, quod circa Porticus per latentes caueas è radice Montis emanat, morbis frigidis leuandis aptiſſimum, calidarum exhalationum index, quæ Montis gremio confouentur. Itaque, cùm ſpiritus Veſuuij penetralibus occluſi, atque expiratione intercepta veluti ſtrangulati, ſeſe foras efferre contendunt: ita cientur; vt

multo

multo acrius recaleſcant: ita recaleſcunt, vt exardeſcant: ita exardeſcunt, vt tandem diſrupto Monte in flammas erũpant, Hanc incendiorum cauſam in libris Meteororum inſinuat Ariſtoteles, qui, *terra*, inquit, *rupta, exiuit ſpiritus multus, & fauillam, ac cinerem eleuauit, & Liparaeorum ciuitatem exiſtentem non longè, omnem inceneravit: & ad quaſdam in Italia ciuitatum venit. etenim facti ignis in terra hanc putandum eſt eſſe cauſam.* Sed quoniam hæc ſpirituum copia multis eſt inſita montibus, à quibus nullum creatur incendium, potior aliqua indaganda eſt ratio, cur conditi intra Veſuuium ſpiritus conflagrent, idque non ſemper, non ſæpe, ſed per longhiſſima interualla. Tria ſunt, quæ rara, ſed magna Veſuuio incendia pariunt, cauernarum vaſtitas, ſoli tenacitas, bituminis & ſulphoris copia. Cauernoſum eſſe Veſuuium oculi comprobant defixi ad hiatus, quos aperit. Olim perduelles à Clodio obſeſſos, per Veſuuij cauernas elapſos, paulò ante narrauimus è Lutio Floro. Ingentes intra Veſuuium caui à ſubterraneis ignibus ortum duxère, ſaxa excauante flamma: quæ tandem elepſa eſt, exeſo Monte, ac prope exoſſi relicto. Inde cauernarum inanitas, in quibus, cùm liberè ſpiritus diſpatiari poſſint, non adeo pertinaciter eruptionem meditantur, ac fugam: donec per ſeculorum ſpatia numeroſiores, ne cauernarum quidem vaſtitate contenti, ad ſuperni aeris immenſitatem adſpirent. Hinc perduelliones, tumultus, eruptiones poſt ſecula. His ita ſe ſpiritibus longo æuo cauernoſus Mons ingurgitat; vt identidem cogatur euomere. Non latuit ratio: hæc Ariſtotelem, ſolertiſſimum cauſarum latentium indagatorum. qui de terræ montibus agens, *Quicunque*, inquit, *laxa habent, quæ ſubtus loca, multum ſuſcipientes ſpiritum, concutiuntur magis.* Eadẽ autẽ materia, quæ dum terræmotus ciet, parturit; dum perſtat, parit incendia. Huc accedit ſoli tenacitas. Siquidem ſiccum eſt Veſuuianum ſolum, pertinax, pumicoſum, argilloſum, arenoſum. Teſtantur id arenæ, quibus adeo largè pluit in agro Barienſi, ac Melphitano; vt littora crederes exarenata. Teſtantur Veſuuiana vina viuida, neruoſa, generoſa, quæ diluta non eneruantur; per mare deuecta, vires etiam ab aquis accipiunt. Teſtatur denique

Ariſt. ibidem

denique ſolum ipſum bibulum, aquas pluuias quamcitiſſimè
exorbens, nullo recentium imbrium ſeruato veſtigio. Cum
igitur orta, è ſiccitate durities expirationi obſiſtat: fit, vt
perdifficilem ſpiritus reperiant exitum: &, cùm reperiunt,
ipſamet duritie ſoli obluctantis vehementius excandeſcant.
Hinc per interualla rara conflagrationes maximæ. Deniq;
in idem conſpirat oleaginea, & bituminata materia: quam
Veſuuius tanta copia euegit, vt bituminis torrentes decur-
rerint. Bitumen facilè flammam & concipit, & nutrit.quip-
pe Naphtha, genus bituminis, teſte Plinio, non ſecus ac ma- *Plinius lib. 3.*
gnes ferrum, procul ad ſe ignem pertrahit. Ita Iaſonis pel- *c.105. Plin.*
licem à Medea æmula crematam, fabulis tradidere Græci, *ibid.*
igne in coronam naphtha illitam inſiliente. Bituminis co-
gnatam igni naturam oſtendit lacus Aſphaltites. Hic, vt
animaduertit Ioſephus, ſitus in regione Sodomorum, quæ *Ioſephus de*
incendio perijt, bituminis magnam vim emittit aquæ ſuper- *bello Iudaic.*
natantem. *In Apollonia quoque bitumen foſſile naſci, nec* *lib. 5. c. 9.*
longè ab ea regione ignem omnibus anni temporibus flagrare,
auctur eſt Ariſtoteles. Demum à bitumine Babylonico ignē *Ariſt de adm.*
conſtantiſſimè detineri, neque aqua extingui, ſed vel cœno, *audit. 123.*
vel alumine, refert è Leandro Maiolus. Quodlibet verò bi- *Maiolus collo.*
tumen, ſi ſemel inarſerit, flagrare inter aquas, teſtantur Co- *18. Conimbr.*
nimbricenſes; qui de hoc eodem ignis genere interpretan- *in meteor.*
tur id, quod Tacitus refert, ſub Nerone *igni terra edito vil-* *tract. 13. c. 1.*
las, arua, vicos, paſſim correptos. neque extingui potuiſſe; *Tacit. lib. 13.*
non, ſi imbres caderent; non, ſi fluuialibus aquis, aut quo- *annal.*
uis alio humore niterentur: donec inopia remedij, agreſtes
quidam eminus ſaxa iecere. Hoc idem de Veſuuiano bitumi-
ne ſemel accenſo experientia docuit, noua vndarum cum
flammis commercia paciſcente Natura. Materies hæc bitu-
minata ſuperioris ætatis conflagrationibus egeſta, denuo
per temporum moras enata, nouo ſemper ſemina incendio
ſufficit. Bitumini ſulphureæ quoque interſerunt venæ: vt
apparet e lapidibus, quos Mons effudit, plerumque ſulphur
olentibus. Ex his cauſam odoramur incendij: cui incipien-
do ſulphur aptiſſimum, nutriendo bitumen. Hanc earum
conflagrationum originem, quas in Vulcano, & Ætna per-
petuo, in Veſuuio ſubinde experimur, agnouit Abulenſis,
dum

multo acrius recaleſcant: ita recaleſcunt, vt exardeſcant: ita exardeſcunt, vt tandem diſrupto Monte in flammas erũpant, Hanc incendiorum cauſam in libris Meteororum inſinuat Ariſtoteles, qui, *terra*, inquit, *rupta, exiuit ſpiritus multus, & fauillam, ac cinerem eleuauit, & Liparæorum ciuitatem exiſtentem non longè, omnem inceneranit: & ad quaſdam in Italia ciuitatum venit. etenim facti ignis in terra hanc putandum eſt eſſe cauſam.* Sed quoniam hæc ſpirituum copia multis eſt inſita montibus, à quibus nullum creatur incendium, potior aliqua indaganda eſt ratio, cur conditi intra Veſuuium ſpiritus conflagrent, idque non ſemper, non ſæpe, ſed per longhiſſima interualla. Tria ſunt, quæ rara, ſed magna Veſuuio incendia pariunt, cauernarum vaſtitas, ſoli tenacitas, bituminis & ſulphoris copia. Cauernoſum eſſe Veſuuium oculi comprobant defixi ad hiatus, quos aperit. Olim perduelles à Clodio obſeſſos, per Veſuuij cauernas elapſos, paulò ante narrauimus è Lutio Floro. Ingentes intra Veſuuium caui à ſubterraneis ignibus ortum duxère, ſaxa excauante flamma: quæ tandem elepſa eſt, exeſo Monte, ac prope exoſſi relicto. Inde cauernarum inanitas, in quibus, cùm liberè ſpiritus diſpatiari poſſint, non adeo pertinaciter eruptionem meditantur, ac fugam: donec per ſeculorum ſpatia numeroſiores, ne cauernarum quidem vaſtitate contenti, ad ſuperni aeris immenſitatem adſpirent. Hinc perduelliones, tumultus, eruptiones poſt ſecula. His ita ſe ſpiritibus longo æuo cauernoſus Mons ingurgitat; vt identidem cogatur euomere. Non latuit ratio: hæc Ariſtotelem, ſolertiſſimum cauſarum latentium indagatorum. qui de terræ montibus agens, *Quicunque*, inquit, *laxa habent, quæ ſubtus loca, multum ſuſcipientes ſpiritum, concutiuntur magis.* Eadẽ autẽ materia, quæ dum terræmotus ciet, parturit; dum perſtat, parit incendia. Huc accedit ſoli tenacitas. Siquidem ſiccum eſt Veſuuianum ſolum, pertinax, pumicoſum, argilloſum, arenoſum. Teſtantur id arenæ, quibus adeo largè pluit in agro Barienſi, ac Melphitano; vt littora crederes exarenata. Teſtantur Veſuuiana vina viuida, neruoſa, generoſa, quæ diluta non eneruantur; per mare deuecta, vires etiam ab aquis accipiunt. Teſtatur denique

Ariſt. ibidem

denique ſolum ipſum bibulum, aquas pluuias quamcitiſſimè
exorbens, nullo recentium imbrium ſeruato veſtigio. Cum
igitur orta, è ſiccitate durities expirationi obſiſtat: fit, vt
perdifficilem ſpiritus reperiant exitum: &, cùm reperiunt,
ipſamet duritie ſoli obluctantis vehementius excandeſcant.
Hinc per interualla rara conflagrationes maximæ. Deniq;
in idem conſpirat oleaginea, & bituminata materia: quam
Veſuuius tanta copia euegit, vt bituminis torrentes decur-
rerint. Bitumen facilè flammam & concipit, & nutrit.quip-
pe Naphtha, genus bituminis, teſte Plinio, non ſecus ac ma- *Plinius lib. 3.*
gnes ferrum, procul ad ſe ignem pertrahit. Ita Iaſonis pel- *c. 105. Plin.*
licem à Medea æmula crematam, fabulis tradidere Græci, *ibid.*
igne in coronam naphtha illitam inſiliente. Bituminis co-
gnatam igni naturam oſtendit lacus Aſphaltites. Hic, vt
animaduertit Ioſephus, ſitus in regione Sodomorum, quæ *Ioſephus de*
incendio perijt, bituminis magnam vim emittit aquæ ſuper- *bello Iudaic.*
natantem. *In Apollonia quoque bitumen foſſile naſci, nec* *lib. 5. c. 9.*
longè ab ea regione ignem omnibus anni temporibus flagrare,
auctor eſt Ariſtoteles. Demum à bitumine Babylonico ignē *Ariſt de adm.*
conſtantiſſimè detineri, neque aqua extingui, ſed vel cœno, *audit. 123.*
vel alumine, refert è Leandro Maiolus. Quodlibet verò bi- *Maiolus collo.*
tumen, ſi ſemel inarſerit, flagrare inter aquas, teſtantur Co- *18. Conimbr.*
nimbricenſes; qui de hoc eodem ignis genere interpretan- *in meteor.*
tur id, quod Tacitus refert, ſub Nerone *igni terra edito vil-* *tract. 13. c. 1.*
las, arua, vicos, paſſim correptos. neque extingui potuiſſe; *Tacit. lib. 13.*
non, ſi imbres caderent; non, ſi fluuialibus aquis, aut quo- *annal.*
*uis alio humore niterentur: donec inopia remedij, agreſtes
quidam eminus ſaxa iecere.* Hoc idem de Veſuuiano bitumi-
ne ſemel accenſo experientia docuit, noua vndarum cum
flammis commercia paciſcente Natura. Materies hæc bitu-
minata ſuperioris ætatis conflagrationibus egeſta, denuo
per temporum moras enata, nouo ſemper ſemina incendio
ſufficit. Bitumini ſulphureæ quoque interſerunt venæ: vt
apparet e lapidibus, quos Mons effudit, plerumque ſulphur
olentibos. Ex his cauſam odoramur incendij: cui incipien-
do ſulphur aptiſſimum, nutriendo bitumen. Hanc earum
conflagrationum originem, quas in Vulcano, & Ætna per-
petuo, in Veſuuio ſubinde experimur, agnouit Abulenſis,
dum

Abulenſis pa- dum ait, *modum, quo ea fiunt, talem eſſe, quia quilibet bo-*
rad. 5. c. 103. *rum montium multas concauitates ſulphure plenas habet; & inflammatur ſulphur in aliqua earum, &, dum illa combuſtio durat, ardet ſulphur, & fiunt eructationes ignium.*

Iuſt. hiſt. li. 4. Idem de Ætna Iuſtinus tradidit, qui philoſophico ſale inſpergens hiſtoriam, *Ignibus,* inquit, *generandis, nutriendiſque ſoli ipſius naturalis materia. Quippe intrinſecus ſtratum ſulphure, & bitumine traditur. Quæ res facit, vt ſpiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter, & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet.* Igitur, vt compendio cuncta complectar, calidi ſpiritus in cauernoſo Monte magna copia per ſeculorum diuturnitatem aggeſti, ac tenaciſſimo ſolo conſtricti, per antiperiſtaſim eo, quo ante diximus, modo exarſere: & bituminatam, ac ſulphuream nacti materiam, illa miſcuere inter Veſuuianas venas incendia, quæ Monti ruinam, mortalibus exitium, vrbibus excidia importarunt. His ea omnia, quæ in hac conflagratione vidimus, diſtribuenda ſunt cauſis, terræmotus, cinis pluuius, lapis deciduus, torrens igneus, inundatio. Extitere terræmotus, concuſſo ſolo: dum ſpiritus, non dum laxiori aditu patefacto, in latera Montis incurrerent.
Ariſt. 2. meteo. *Terræmotus enim*, teſte Ariſtotele, *fient maximè propter*
ſumma. 3. c. 2. *anguſtias.* Magnus porro inter terræmotum, & incendium
Ariſt. ibidem. nexus eſt. quandoquidem, vt eidem probatur Ariſtoteli, *Cauſa terræmotus eſt ſpiritus, cùm intro forte fluxerit, qui extra exhalat.* exhalat autem quandoque iactatione ipſa, atque attritu ſuccenſus. Quamobrem, vt adnotauit Bero-
Beroſ. lib. an- ſius, *ſub Phaethonte Rege ſecutum eſt incendium poſt ter-*
1 19 ſub Rege *ræmotum.* Declarat hoc Ariſtoteles exemplo petito ab hu-
Aſſyriorum mano corpore. Quemadmodum enim in hoc, cùm ardor in-
XVII. ualeſcere cęperit, eadem & tremoris cauſa eſt, & febrium: ita ſpiritus intra terram incluſi & terræmotus pariunt, & incendia. *Oportet enim* (verba ſunt Ariſtotelis) *intelligere,*
Ariſt. ibidem. *quod ſicut in corpore noſtro & tremorum, & pulſuum cauſa eſt ſpiritus, qui intercipitur, virtus: ſic & in terra ſpiritum ſimilia facere: & hunc quidem terræmotum velut tremorem eſſe; illum autem veluti pulſum. & ſicut accidit ſæpe poſt mixtionem (per corpus enim ſit velut tremor quidam.*

cùm

cùm transfertur ſpiritus deforis intro ſimul totus) talia fieri & circa terram. Differt porro in hoc Veſuuianus terræmotus à tremore, qui exiſtit è febribus: quod hic quidem fit à ſpiritibus è partibus extimis intro accitis: terræmotus autem, qui in Veſuuio contigit, ortus eſt à ſpiritibus ex imo Monte foras euocatis. Extitere quoque pluuiæ cinerum: quia cum ignis montanas inter fornaces cœpit ardeſcere, multa exhauſit in cinerem. qui primò nube fumea euectus quà ſordidiore, quà candidiore, vt cineris plus, minuſue ſuſtulerat; tum hinc alio vi ſpirituum aſportatus; demum ſiue flatibus deficientibus, ſiue in aëris media regione, accreſcente frigore, ſuo ponderi redditus, in pluuiam decidit, quandoque chalybe, ferro, argento etiam permiſtus: vt eorundem metallorum venas in Veſuuio deprehenderes, & argentea ſecula ſperares poſt ferrea, Monte ipſo ſponte prodente, quæ texerat, & accolarum inertiam accuſante. Ita pluiſſe olim piſcibus, Athenæus tradit, à ventis mare deprædantibus veluti auecto pecore, & diſiecto. Extitere inſuper pluuiæ lapidum, diuulſis ijs flammarum vi, atque vnà cum ſpiritibus eodem impetu extritis eo fere modo, quo è nube igniti lapides, atque è tormentis æneis quandoque ſaxeus imber extruditur. In his, conciti lapides, vt egregiè Ariſtoteles, *patiuntur, & non agunt: ſpiritus verò vt principiũ.* Dum imbri lapidaret, magna vis cecidit eius lapidis, quem ſpecularem appellant, nitentis, pellucidi, ac prope cryſtallini, inter tot incendia, & clades in eo veluti ſpeculo humanas vices repræſentante fortuna. non defuere etiam pauci aliquot lapides, aureis venis interliti, irritæ cupiditatis incitamentum, auro pernicioſius effuſo, quàm flamma Extitere præterea torrentes ignei, ingenti bituminis, ac ſulphuris liqueſcente vi, ac veluti in fluuium igneum exudante. Bitumen quoque ſuperfuſum cùm arderet, ſaxa eliquauit. In quo ſenſu Maronianum illud accipiendum eſt.

Athenæus lib. 8. cap. 2.

Ariſt. ibidem.

Vidimus vndantem ruptis fornacibus Aetnam
Flammarumque globos, liquefactaque voluere ſaxa.

Virg. 1. Geor.

Aug lib. 4. de de ciu. c. 2.

Huc etiam reſpexit Auguſtinus dum refert, *ex Aetna verticibus quondam torrentis vice, flammarum flumina cucurriſſe*, Bitumine eodem, quo præduri lapides colliqueſacti,

eſſe-

effectum eſt; vt mollia lapideſcerent, igne tenuiſſimo permeante, neque abſumente partes, ſed exiccante. Ita eadem Solis vi cœnum obdureſcit, niues liquantur. Porro bituminis ardentes riui, conuoluti in globos, ac veluti fluctuantes, tranſuerſim, non rectà ciebantur, nempe à ſpiritibus igneis intercurſantibus adacti, igni fulmineo, quem cum tonitru nubes efferunt, perſimilibus. quippe fulmina veluti erra-bunda in obliquum agi; obſeruant Meteororum periti. Cęterum alia quoque miracula fulminum in igne Veſuuiano ſuſpeximus; pernicitatem illi tantam, vt non fugam modò, ſed ipſas quoque cogitationes præuerteret; deiecta ea potiſſimum, quæ obſiſtebant, ijs, quæ cedebant, innoxijs; non paucos etiam intercluſo ſpiritu examinatos, vt in fulgetris ſolet accidere, nullo, aut leuiſſimo relicto conflagrationis inditio; hauſtos in ſinu matrum liberos, parentibus incolumibus; arſiſſe lodiculam, proxima culcitra intacta. Hæc, & alia pleraque id genus, tenuiſſimæ flammæ celeritatem declarant fulmini non abſimilē. Extitere denique inundationes. quæ aliæ, & aliæ in alias, & alias cauſas referendæ ſunt. Inundationes, quæ contigere poſt pluuias, ab ijſdem ſuam agnoſcunt originem. etenim aquæ pluuiæ, quæ antea exiguos diductæ in riuulos per plures tramites demittebantur è Monte, obſtructis alto cinere, aliaque decidua materia montanis vijs ſimul aggeſtæ, quaſi collectis vndequaque auxiliaribus copijs ſenſim excreuere in torrentem. qui præſtructis elicibus, nullo certo delatus alueo, quocunque incidiſſet, agris, atque arboribus exitium importabat. Prima vero inundatio, quæ altera ab ortu incendij die, pluuiæ adſcribi non potuit; certè aquis ab ipſamet Montis aluo effuſis tribuenda eſt. quæ vi halitus eletæ è nouis hiatibus, quà data porta, exiliere, ſeruata flammis bituminatis fide. Sunt, qui affirment, vidiſſe ſe riuos igneos aqueis intercurrere, & ſupernatantem flammam, aquæ quaſi vehiculo deuehi, aduerſario elemento in triumphalem quommodo ſibi rhedam conuerſo. Effudere ſe ſimul flammæ, & aquæ è Veſuuio, modo planè conſimili, quo eliſis nubibus, dum inardent fulmina, funduntur pluuiæ. quo alluſiſſe videtur Iſaias ijs verbis, *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes: aquæ arderent igni.* Mons igitur in nubem

bem, ſonitus in tonitrum, flammæ in fulgetra, ignei lapides in fulmina, aquæ in pluuias euaſere. Neque inſolens, vi calidorum ſpirituum, quemadmodum ſiccantur quandoque flumina; dum, vt obſeruat Beroſus, *apertis oſtijs montium aquæ in alueos regrediuntur*, atque intra priores anguſtias reſorbentur: ita laxatis terræ meatibus, nouas fontium, ac fluminum ſcaturigines prodire. Namque in bello Mitridatico prope Apameam Phrygiæ vrbem, terræmotu concuſſa tellus nouas paludes, fontes, fluuios edidit. Neque id reticuit Ariſtoteles, cùm dixit, *aquas erupuiſſe, factis terræmotibus*. Vtinam idem contigiſſet in Veſuuio: &, qui manare torrens occœperat, perennaſſet in fluuium: aquas ab igne mercaremur, beneficium à clade. Hæc de hiſtoria, & cauſis incendij Veſuuiani; quod quidam in ſpem, quidam in metum trahunt. Non deſunt, qui bene ominentur. Aliqui Ignem, & Aquam, principia rerum omnium prædicant: ideò exulibus igni & aqua, tanquam bonis omnibus, interdici: ideo ſponſis ignem, & aquam præferri ſolita, auſpicium fœcunditatis: ideo à Lactantio pronunciatum, *igne, & aqua vitam humanam conſtare: ignem ſoli homini datum: igne nos vti, qui cæleſte animal ſumus: quoniam ignis è cælo eſt.* Igne adijciunt primùm mortales cœpiſſe conuiuere; igne è nubibus miſſili Ceraunias interdum pretioſas deferri, ac veluti gemmeam tempeſtatem: igne Zoroaſtrem abſumptum, tranſcriptumque illico ad ſuperos, quaſi iam diuinitate potitum: ignem Perſis eſſe, Lycijſque ſacrum: igne latam à Deo, promulgatamque Hebræis legem inter incendia montium, dum *Mons Sinai fumaret eò, quòd deſcendiſſet Deus in igne*: Igneæ quodammodo, vt Iuſtinus animaduertit, Platoni Deũ eſſe naturæ: igne felicitatẽ, igne, vt Seruio Tullo contigit, imperia ipſa portendi. Deniq; vicinis vrbibus, Neapoli, ac Romæ, ad quarũ læuam Veſuuius ſitus eſt, iuxta veterum haruſpicum effata, non niſi fauſta, ac proſpera auſpicari nos poſſe contenditur: quando quidem *Intonuit læuum*. Leuiuſcula profectò ſunt iſthæc, & digna vix, quæ audiantur. Alij, dum rem propius attingunt, pollicentur ſibi fertilitatem à cinere confouente terræ calorem, ſpiritibus intus obſtrictis. cinere augurantur reparanda damna, quæ flamma

Beroſ. lib. antiq ſub Rege Aſſyr. XVII. Conimbr. in meteor. tract. 12. c 8. Ariſt. lib. 2. meteor. ſum. 2 c. 2. Plutarc. in probl. c. 1. Alex genial. lib. 2. Lactant. diu. inſt. lib. 2. c. 9 Vitru. lib. 2. Plin. lib 37. c. 9 Greg. Turon. hiſt. Francor. lib. 5. Pier. Valer. in hier. lib. 40. Exod. Dit.

Iuſti. orat. paraneſ. contr. gen. Liu. lib. 1. Virg. 2. Aen.

effectum eſt; vt mollia lapideſcerent, igne tenuiſſimo permeante, neque abſumente partes, ſed exiccante. Ita eadem Solis vi cœnum obdureſcit, niues liquantur. Porro bituminis ardentes riui, conuoluti in globos, ac veluti fluctuantes, tranſuerſim, non rectà ciebantur, nempe à ſpiritibus igneis intercurſantibus adacti, igni fulmineo, quem cum tonitru nubes efferunt, perſimilibus. quippe fulmina veluti erra-bunda in obliquum agi; obſeruant Meteororum periti. Cęterum alia quoque miracula fulminum in igne Veſuuiano ſuſpeximus; pernicitatem illi tantam, vt non fugam modò, ſed ipſas quoque cogitationes præuerteret; deiecta ea potiſſimum, quæ obſiſtebant, ijs, quæ cedebant, innoxijs; non paucos etiam intercluſo ſpiritu examinatos, vt in fulgetris ſolet accidere, nullo, aut leuiſſimo relicto conflagrationis inditio; hauſtos in ſinu matrum liberos, parentibus incolumibus; arſiſſe lodiculam, proxima culcitra intacta. Hæc, & alia pleraque id genus, tenuiſſimæ flammæ celeritatem declarant fulmini non abſimilē. Extitere denique inundationes quæ aliæ, & aliæ in alias, & alias cauſas referendæ ſunt. Inundationes, quæ contigere poſt pluuias, ab ijſdem ſuam agnoſcunt originem. etenim aquæ pluuiæ, quæ antea exiguos diductæ in riuulos per plures tramites demittebantur è Monte, obſtructis alto cinere, aliaque decidua materia montanis vijs ſimul aggeſtæ, quaſi collectis vndequaque auxiliaribus copijs ſenſim excreuere in torrentem. qui præſtructis elicibus, nullo certo delatus alueo, quocunque incidiſſet, agris, atque arboribus exitium importabat. Prima vero inundatio, quæ altera ab ortu incendij die, pluuiæ adſcribi non potuit; certè aquis ab ipſamet Montis aluo effuſis tribuenda eſt. quæ vi halitus electæ è nouis hiatibus, quà data porta, exiliere, ſeruata flammis bituminatis fide. Sunt, qui affirment, vidiſſe ſe riuos igneos aqueis intercurrere, & ſupernatantem flammam, aquæ quaſi vehiculo deuehi, aduerſario elemento in triumphalem quommodo ſibi rhedam conuerſo. Effudere ſe ſimul flammæ, & aquæ è Veſuuio, modo planè conſimili, quo eliſis nubibus, dum inardent fulmina, funduntur pluuiæ. quo alluſiſſe videtur Iſaias ijs verbis, *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes: aquæ arderent igni.* Mons igitur in nubem

bem, ſonitus in tonitrum, flammæ in fulgetra, ignei lapides in fulmina, aquæ in pluuias eua ſere. Neque inſolens, vi calidorum ſpirituum, quemadmodum ſiccantur quandoque flumina; dum, vt obſeruat Beroſus, *apertis oſtijs montium aquæ in alueos regrediuntur*, atque intra priores anguſtias reſorbentur: ita laxatis terræ meatibus, nouas fontium, ac fluminum ſcaturigines prodire. Namque in bello Mitridatico prope Apameam Phrygiæ vrbem, terræmotu concuſſa tellus nouas paludes, fontes, fluuios edidit. Neque id reticuit Ariſtoteles, cùm dixit, *aquas erupuiſſe, factis terræmotibus*. Vtinam idem contigiſſet in Veſuuio: &, qui manare torrens occœperat, perennaſſet in fluuium: aquas ab igne mercaremur, beneficium à clade. Hæc de hiſtoria, & cauſis incendij Veſuuiani; quod quidam in ſpem, quidam in metum trahunt. Non deſunt, qui bene ominentur. Aliqui Ignem, & Aquam, principia rerum omnium prædicant: ideò exulibus igni & aqua, tanquam bonis omnibus, interdici: ideo ſponſis ignem, & aquam præferri ſolita, auſpicium fœcunditatis: ideo à Lactantio pronunciatum, *igne, & aqua vitam humanam conſtare: ignem ſoli homini datum: igne nos vti, qui caleſte animal ſumus: quoniam ignis è cælo eſt.* Igne adijciunt primùm mortales cœpiſſe conuiuere; igne è nubibus miſſili Ceraunias interdum pretioſas deferri, ac veluti gemmeam tempeſtatem: igne Zoroaſtrem abſumptum, tranſcriptumque illico ad ſuperos, quaſi iam diuinitate potitum: ignem Perſis eſſe, Lycijſque ſacrum: igne latam à Deo, promulgatamque Hebræis legem inter incendia montium, dum *Mons Sinai fumaret eò, quòd deſcendiſſet Deus in igne*: Igneæ quodammodo, vt Iuſtinus animaduertit, Platoni Deũ eſſe naturæ: igne felicitatẽ, ingne, vt Seruio Tullo contigit, imperia ipſa portendi. Deniq; vicinis vrbibus, Neapoli, ac Romæ, ad quarũ læuam Veſuuius ſitus eſt, iuxta veterum haruſpicum effata, non niſi fauſta, ac proſpera auſpicari nos poſſe contenditur: quando quidem *Intonuit læuum*. Leuiuſcula profectò ſunt iſthæc, & digna vix, quæ audiantur. Alij, dum rem propius attinguut, pollicentur ſibi fertilitatem à cinere confouente terræ calorem, ſpiritibus intus obſtrictis. cinere augurantur reparanda damna, quæ flamma

Beroſ. lib. antiq ſub Rege Aſſyr. XVII. Conimbr. in meteor. tract. 12. c 8. Ariſt. lib. 2. meteor. ſum. 2 c. 2. Plutarc. in probl. c. 1. Alex genial. lib. 2. Lactant. diu. inſt. lib. 2. c. 9 Vitru. lib. 2. Plin. lib 37. c. 9 Greg. Turon. hiſt. Francor. lib. 5. Pier. Valer. in hier. lib. 40. Exod. Dit.

Iuſti. orat. paranet. contr. gen. Liu. lib. 1. Virg. 2. Aen.

Intulit:quaſi phœnicis in modum Veſuuius conflagrauerit;
Strab. lib. 5. vt vitam duceret à funere, vires à cinere. Adſtipulatur his
Caſſiodo. var. ep. 50. Strabo, qui Veſuuiani ſoli fertilitatem cineri adſcribit. Caſ-
ſiodorus fauſtum ducit auſpicium ab arena. *Vomit*, inquit,
fornax illa perpetua puniceas quidem, ſed fertiles arenas quæ,
licet diuturna fuerint aduſtione ſicata; in varios fœtus ſu-
ſcepta germina mox producunt, & magna celeritate repa-
rant, quæ paulò ante vaſtauerant. Hæc ille, ingentis mali
ſolatia leuiſſima; & ; vt liberè dicam, quod ſentio, ſpes pla-
nè repoſitas in arena. Agnoſcitur iactura præſens: promit-
titur poſt interualla temporum è ſterili arena, & infelici ci-
nere reuictura ſoli felicitas. Adeò ſunt cupiditatis humanæ
in deplorata re ſpes pertinaces. Speratur aliquid fortunæ
melioris telluri: timetur deterioris mari. Procurric Veſu-
uius in Neapolitani ſinus craterem bijugus. Mons vno verti-
ce. Hoc dedit Natura munimentum, vt potiſſimum Euri
ſubſolani inde flantis à ſubiecto mari rabiem arceret. Nunc,
deiecto Montis culmine, ac veluti arcis deturbato faſtigio,
liberior illac ventis ad mare patet excurſio. Quadnıobrem
fretum in portuoſum, neque hactenus nautis ſatis fidele,
erit deinceps etiam formidandum; futurum, vti metuo, non
jam Sirenum lenocinijs, ac fraudibus, ſed procellis, ac nau-
fragijs infame. Auguria quidam adijciunt multo triſtiora.
Nimirum bella præſagiunt, peſtilentias, famem, conſulto
Dio in Tito. Dione, alijſque ſcriptoribus: apud quos hæc ipſa mala poſt
Sigon. de Imp. Veſuuianas conflagrationes eueniſſe legimus. Olympiadem
Occident. lib. obſeruant, cùm è Philippo Macedonum Rege concepit,
16. Platina in ſomniaſſe, faculam in aluo ſuccendi incendia toto terrarum
Bened. II. Plu. Orbe miſcentem, belli præſagium, quo poſtmodum, incen-
in vita Alex. dente Alexandro, Europa, atque Aſia conflagrauit. Hæc
Virg. 10. Aen. Paſſim iactant Hiſtorici. Audent etiam decernere de his Poe-
tæ. Hecubam proferunt face fœtam, atque ignes enixam
iugales, omina belli, quo arſit Troia: Lauiniam, comas flãma
ſponte allambente, claram fore, haruſpices pronnnciaſſe

Idem 7. Aen. *Ipſam, ſed populo magnum portendere bellum*

Ideo ad Veſuuiani ignis aſpectum œſtro fatidico Poëtæ per-
Idem. 6. Aen. citi iam vulgo, dulcibuſque canunt *Bella, horrida bella*.
His Mathematici adiunguntur ij, qui ſe Aſtrologos vendi-
tant.

Digitized by Google

tant. Genus hominum, quod ex aduerſis æquè, ac proſperis famam captat, raròdiuinans, ac fortuito; plerumque fallax, & infidum. Pronunciant hi, eodem occurſu, congreſſuque ſyderum montes flamma, regios animos ira excandeſcere: vnde diſcordiæ, motuſque belloſum. Hoc non tam Incendium fuiſſe clamitant, quàm prodigium: omnia bellis arſura, quaſi Veſuuianus ignis in cometam ceſſerit, ſplendore ferali, ac portentoſo. Præuium conflagrationi fuiſſe Lunæ deliquium animaduertunt, quadrato Martis appulſu percuſſæ: Martem quoque decimo quarto Leonis gradu cõcluſum, actumque in rabiem. Hæc aſtrorum obſeruatores, motus aſpectuſque ſyderum non tam metiri ſoliti, quàm mẽtiri: iudice me, ſi minus; è republica eliminandi, certè exauctorandi, quippe vanis poſt damna timoribus non meticuloſum modo vulgus, ſed Principum quoque aures imbuunt, ad quos faciles comparant ſibi aditus, ſiue mendacijs aſtra trahentibus ad ſtudia potentiorum; ſiue innata quadam cupiditate mortalibus, quod natura denegauit, prænoſcendi futura. Scilicet ideo timenda ſunt bella, quia Veſuuij iam apta flammæ materia conflagrauit. Antiquioribus obſeruata hæc auguria, & iam pridem cum ethnica ſuperſtitione antiquata. Bellum, & pax in diuino nutu ſunt poſita. Propior ijs cauſa ex eo ducitur, quod regni rationibus conducit; & vel tuendo, vel propagando imperio prodeſſe, aut officere noſcitur. Vnico bella afflantur aſtro, amore dominandi. Quòd ſi augurijs ducimur; omnia ſunt nobis auſpicatiſſima. Quippe ſub ortum Alexandri, Dianæ Epheſinæ apud Græcos incendium Græciæ felicitatem, atque imperium præmonſtrauit. Neque deeſt *Aquilæ nido*, vt adnotauit Plinius, *lapis ætites nihil igne deperdens*. Et haſtæ Romanæ ſub Sabinum bellum ardere viſæ, Romanis victoriam prænunciarunt. Propinquior peſtilentiæ, famiſque metus. nam alteram è Montis latebris inhalata mephitis; alteram cinere obruta ſemina, & agrorum vaſtitas minatur. Sed, vti ſperamus, peſtilentiam flammæ ipſæ, purgato aere, ſterilitatem opportunæ pluuiæ depulere. Noua è Veſuuio eruptura ſubinde incendia ominatus eſt Niphus. Omen comprobatum experientia pæne omnium ſeculorum, recurrentibus

Plutar. in vit. Alex. Plin. lib. 10. c. 3.

Pier. Valer. lib. 46.

Niphus in meteor. Ariſt. lib. 2. ſum. 3. c. 2. ante explicat. VI ſig.

iiſdem incendij fontibus, atque intra vaſtiſſima Montis receptacula renaſcente materia, quæ nouis nutrimenta ignibus præbet. Poſtrema prænunciat, supereſt, quamdiu perduratura ſit hæc ipſa, quam experimur, conflagratio: cui narrandæ finem facio, quamuis Veſuuius flagrandi finem non fecerit. Siquidem adhuc fumum expirat: adhuc per interualla cinerem expuit: adhuc torrentes exudat: adhuc theatrales excitat lacrymas: adhuc tragica dat ſpectacula. Nondum reductum ſcenæ ſipari im: non dum vacat Orcheſtra, nondum peracta eſt fabula; ſi tamen fabula, quæ vera dat funera. Nutant ſuſpenſi expectatione animi, quo tandem ſit tanta res euaſura. Miſerrimum profectò eſt, accepta iam pernicie, adhuc luctari, cum metu. Si conſulamus Ariſtotelem peritiſſimum in effectis naturæ præuidendis, prædicendiſque veluti hariolum: augurari de incendio licebit id, quod ille de maximis terræmotibus præmonuit. quippe vtraque ex eodem fonte naſcuntur. *Cum*, inquit, *fortis factus fuerit terræmotus; non mox, neque ſemel ceſſat agitatus. ſed primo quidem vſque ad quadraginta dies agitur: poſterius autem & ad vnum, & ad duos annos dominatur ſecundum eadem loca. Quapropter, ſicut in corpore pulſus non repente ceſſant, neque citò, ſed per moram, marceſacta paſſione: ſic & principium, à quo exhalatio facta fuit, & impetus ſpiritus palam eſt, quod non mox omnem conſumpſit materiam. Quouſque igitur conſumantur reliquiæ horum, neceſſe eſt quaſſare.* Hæc ille, poſt quadraginta dies annuum, aut etiam bienne ominatus incendium. Si quid interea in Veſuuiano fumo luce dignum, vel noui contigerit, vel contigiſſe iam nouerim; narrationi huic attexam. Scribent hæc alij cothurnato ſtylo, & tanta digno tragœdia. Hæc amicorum ſuaſu à me ſcripta curſim inter excurſiones flammarum, *areſcentibus hominibus præ timore*, areſcente ingenio, areſcente calamo.

Ariſt. lib. 2. meteor. ſum. 3. c. 2.

Luc. c. 25.

APPEN-

APPENDIX.

DE NOVIS TERRÆMOTIBVS.

SCRIPSERAM hæc fere intra menſem ab ortu incendij: cùm noui terræmotus, ijque creberrimi cogunt me priori narrationi, vti ſpoponderam, hæc pauca ſubtexere. Dixeram ſub incendij exordium ſæpiſſime ſucceſſatam tellurem, biduoque iactatam formidine maiore, quàm clade. adieceram eorum terræmotuum originem referendam eſſe ad ſpiritus igneos. qui, cùm è Veſuuij latibulis cinerem, lapideſque ſuſtollerent, inter hiatus anguſtias exitum eluctati, aëre vehementius concito, montem concuſſerint, & nexu quodam ſola terrarum monti finitima. Quemadmodum, dum tormenta ænea pilas explodunt, concuti vicina loca experimur, vmbratili quadam terræmotus imagine; ad exitialis illius peſtis afflatum quodammodo ingemiſcente aere, contremiſcente tellure. Multis id ſuadere conatus addideram, defecto iam Veſuuij vertice, ac vaſtiſſima patefacta voragine, terræmotus conquieſſe. Nunc inſtaurati non tam tellurem videntur, quàm meam de ijſdem ſententiam labefactare. Quippe Montis vtrinque lateri adnixa oppida, pagique, poſt perbreues inducias, reualeſcentium terræmotum vi pæne perpetuo vexati. In vrbe verò Neapoli, inter quàm, & Veſuuium non parua planities interiacet, terræmotus ab ineunte Iunio & frequentes, & acerrimi auditi: certè cum prioribus conferendi; niſi quòd in ijs rei nouitas, & inſolentia viam terrori ſtrauerant: hos, vt in venalium pretio ſolet accidere, reddit ipſamet copia viliores. Aſſuetudo quoque & admirationem, & timorem imminuit. Inſitum namque mortalibus noua magis, quàm magna mirari: & formido minor inceſſit expertos ſe non ſemel indemnes. De horum origine perſuaſum non paucis, tunc terram concuti, cùm abrupta vi latentium ignium, intra hiatum decidunt Montis fragmina. Siquidem tantus

Mons, opus olim gaudentis, ac veluti ſuperbientis Naturæ, magna iam ex parte corruit, ſiue inteſtino abſumptus incendio, ſiue mole ſua, Dumque in ſua viſcera recidiuus, in ingentes, cauernas relabitur; inter natiuos ignes rogo ſuccēſo, veluti contumulatur in ſe ſe. Hanc generatim omnibus terræmotibus cauſam tribuit ex Anaximene Seneca, terræ tremorem eius partibus adſcribens: quæ reuulſæ introrſum deuoluuntur in præceps, ſiue ignis vi, ſiue vitio vetuſtatis. Nimirum ætates habent elementa etiam ſuas: & nihil à ſenectute tutum. Idem his expreſſit carminibus, qui Parnaſſum in Lycæa tranſtulit Lucretius.

Anaximenes apud Senecam in libel. de terræmotu.

Lucret. lib. 6.

Terra ſuperna tremit magna concuſſa ruina:
Subter vbi ingentes ſpeluncas ſubruit ætas.
Quippe cadunt toti montes, magnoque repente.
Concuſſu, latè diſcerpunt inde tremores.

Itaque, dum dilacerato Veſuuij latere, ſaxa ſubinde diſſiliūt, tunc dumtaxat ſubſilire terram, quidam rentur. & verò perperam; nam, cùm terræmotus frequentiſſimi extiterint, ſi quoties terra contremuit, toties, diffiſis lateribus, immanis lapidum ſtrues aceruatim de Monte decuſſa eſt; actum iam pridem foret de Veſuuio. Enimuero, ſi Poëtis hic Philoſophari liceret: gigantes dicerent in Veſuuianis campis, qui, Diodoro teſte, Phlegræi dicti ſunt, olim contra Iouem depræliatos, pleroſque ibidem etiam conſepultos, adhuc ſpirantes, feſſoſque pondere, mutare lateri ſedem; eoque motu terram ſuccuti. Quamobrem Latinus vates de Encelado cecinit, fulmine ſemiuſtum iacere ſub Ætna, ſubſtrata fulciendo Monti molæ corporis:

Virg. Æneid. lib. 3.

Et feſſum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cælum ſubtexere fumo.

Hæc eadem de fumo, qui continenter è Veſuuio ducitur, & intercurrentibus terræmotibus tradere in expedito eſſet: ſi cum Poëtis liceret, de Gigantibus mendacia cudere, vt ita dixerim. Gigantea. Parum ab his aberrant Aſtrologi, qui iuxta Babyloniorum placita, teſte Plinio, terræmotus deriuant à vi trium ſyderum fulmineorum, Soli occurſantium circa quadrata Mundi. Sanè, cùm in ſupernis orbibus, quem vocant *trepidationis motum* Aſtrologi deprehenderint: quid

Plinius lib. 2. cap. 79.

ni

Digitized by Google

ni à cælo tellus quoque trepidare didicerit? Expedirent et iã his ſe facilè tricis Mathematici ij, qui ab occaſu ad hortum circumferri terram affirmant, immoto cælo, nulla enim nouorum terræmotuum ratio ijs reddenda eſt, quibus perpetua eſt terræ motio. quæ ideo ſtare videtur, quia rapidiſſimè circumagitur, oculorum ſenſum fallente prrnicitate motus, atque æterna vertigine ſtabilitatem ementiente. Ingenioſum primo Heraclidis, tum Copernici deliramentum, ijs tantùm probandum, quibus immobilia verti monſtret emota mens. Ridiculum, quoque foret, ſi de terræmotibus his, qui à Veſuuiana conflagratione deriuantur, Thaletis Mileſij ſententiam ſequeremur. qui docuit mari terram ſupernatare, *tanquam grande nauigium*; tunc verò moueri, ac veluti fluctuare, cùm aquæ, quibus innititur, vehementius concitantur. Quantum porro foret dementiæ eos terræmotus in aquas referre, quos à Veſuuiano igne proficiſci, pœne oculis contuemur? Igitur, vt modus appareat, quo tellus à ſubiecto igne quaſſatur, res eſt paulò altius repetenda; ac terræmotuum, iam conſeneſcente incendio, renaſcentium origo è ſuis ducenda principijs. Terræmotuum vniuerſim cauſam eſſe ſpiritum intra terræ inanitates conſtrictum, exploratum eſt ijs, qui Ariſtotelis veſtigijs inſiſtunt. Spiritum appello exhalationem ſiccam, & calidam, quæ maſcula vi caloris è terræ ſinu progignitur. Quia verò exiguo concluſa corpuſculo ſub aſpectum non cadit: ideo quaſi à corporis concretione ſeiuncto ſpiritus dicitur. Tam tenue illud eſt, quod turres eruit, quod vrbes haurit, quod terræ molem exagitat. Terræmotum ab incluſo ſpiritu effici, ita breui argumentatione demonſtro. Omne quod mouetur, aut mouetur ex ſeſe, aut ab alio. atqui tellus non mouetur ex ſeſe. nam, iudice Ariſtotele, quæcunque principium motus in ſe ipſis continent, viuentia ſunt, & anima prædita. tellus autem inanime quiddam eſt. neque enim terram, vt ille ait,

Heraclides apud Albert. 2. cœli tract. 3.
Copernicus in libro de Reuol.
Thales Mileſius apud Albert. loco cit.
Ariſt. 8. Phyſ. tit. 9.
Virg. Aen. 6.

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem; & magno ſe corpore miſcet:

Quod de Mundi totius anima Platonicus Poeta cecinit. Quale porro animal tellus, quod neque quotidiana ex aratris illata vulnera perſentiſcit: neque progredi valet, aut regredi,

Digitized by Google

mobile dumtaxat, quia tremulum. Itaque, cùm terra non arbitrio moueatur ex ſeſe, nec niſi ad centrum natiuo pondere deferatur: neceſſario fit, vt in alijs motibus à centro deuia motricem vim agnoſcat alterius. Aut igitur alterius extra, & ſupra ſe; aut alterius intra, & infra ſe. Non extra, & ſupra: neque enim vnquam tanta vis ventorum aerem peruagata in terram incumbit; vt eam vel tantillum è ſua ſede dimoueat. Illa verò Archimedis effata, *Quolibet moueri quodlibet*; & poſſe ſe, ſi pedem extra terram figeret, Mathematicis machinis terræ libramenta conuellere; magnificentius ab eo iactata, quàm verius. Quamobrem cùm in terræ motibus nullum mouens appareat, quod in extima terræ facie supernè locatum ſit reliquum eſt, vt mouens infernè delitеat. Porrò intra terræ receſſus, ac latebras aut Aer, aut Aqua, aut Ignis intercipitur, aut miſta corpora, metalla potiſſimum: inter quæ præcipua ferrum, & aurum ſub terræ fodinis Natura clementer abſcondit, commiſeratione quadam generis humani, alterum crudelitati ſubducens, alterum cupiditati. Miſta hæc, quæ ſolidè concreta terream ſubſtantiam ſapiunt, neque facilè moueri poſſunt, neque mouere. Aer, & Aqua fluida quidem ſunt corpora; ſed ſubterraneis cauernis incluſa, non eſt vnde impetum tantum concipiant, vt terræ ſtabilitatem amoliantur. Supereſt igitur, vt motus terræ igni adſcribatur inter elementa cætera præſtantiſſimo tum leuitate, tum vi. Sed quonam modo id efficiat, eſt vlterius inueſtigandum. Nam, cùm ignis comburat potius, quàm concutiat: ſane hoc præſtare non poteſt, niſi ſatellitio ſpirituum, quos calore progignit. Quippe his facultas ineſt & maximè mobilis, & motrix. Hoc, quo ſolet, acumine confirmat, cùm de terræmotibus agit, Ariſtoteles. Qui, *terra* inquit, à *Sole, & ab eo, qui in ipſa eſt, igne incaleſcit: vt multus quidem extra, multus quoque intra fiat ſpiritus*. Paulò poſt. *Conſiderandum vtique erit, quale maximè motiuum erit corporum. neceſſe enim eſt ad plurimum natum ire* (id eſt, quod per loca plurima facilè tranſmeat) *etiam vehementiſſimum maximè tale eſſe. Vehementiſſimum eſt, quod citiſſimè fertur. percutit enim maximè propter velocitatem ad plurimum autem na-*

Archimedes apud Pappum Mathem. coll. lib. 8. probl. 6. prop. 10.

Ariſt. 2. meteo. ſum 3. c. 2.

natum eſt pertranſire, quod per omnia ire maximè poteſt, tale autem eſt, quod ſubtiliſsimum, Quare ſi quidem ſpiritus natura talis eſt, maximè corporum ſpiritus motiuus. Vnde paucis interiectis ita infert. *Non igitur Aqua, neque Terra cauſa vtique erit motus; ſed ſpiritus, cum intro fortè fluxerit, qui extra exhalat.* Comprobat id duplici experiētia. Primam innuit ijs verbis, *Qui extra exhalat.* Videmus enim fere poſt terræmotus ventos exiſtere. nempe intra terræ ſepta obſtricti ſpiritus, tanta vi obſtantia quæque inuadunt; vt tandem euadant. Altera experientia ſumitur à tranquillitate futuri terræmotus indice. *Fiunt enim*, inquit, *tranquillitate plurimi, & maximi terræmotus*: nempe cælo ventis immuni, clandeſtinas rixas, ac bellum domeſticum intra terræ cauernas apparantibus. Nimirum præcurritur terræmotui ſilentio vniuerſitatis, integris ad exaudiendum terræ fragorem auribus. Comprobat id ex eo Ariſtoteles, quòd terræmotus plerumque contingunt vehementiores noctu, quàm interdiù; & meridie, quàm ſpatio diei reliquo. Noctu quidem: quia tunc ſpiritus intra terræ cubilia deſident conſtipati à frigore, à Sole non euocati. *Noctu*, inquit, *plures, & maiores fiunt terræmotus*. Rationem infra ſubijcit. *Quia noctes diebus tranquilliores ſunt propter abſentiam Solis*. Meridie verò: quia hæc diei pars media tranquillior eſſe ſolet, quàm ceteræ, tunc maximè terris è cæli faſtigio dominante Sole. *Sol*, inquit, *cùm maximè dominatur, diſſoluit exhalationem in terram: dominatur autem maximè circa meridiē.* Quamobrē præmiſerat, *Terræ motus, qui fiunt die, fieri circa meridiem: quia tranquilliſsima eſt, vt in pluribus, diei meridies*. Enimuero terrarum concuſſioni tranquillitate præluditur, ſecundis aduerſa ſuccedere in hoc quoque præmonente Natura. Ad eandem cauſam referas alia ſecuturi terræmotus indicia. Nam ſi ſub Solis occaſum, ſereno cælo, nubeculam videris non obliquatam in flexus, ſed rectà longo tractu porrectam: nocturnum illa tibi, Ariſtotele augure, terræmotum præſagiat, quippe certum tranquilliſſimi aëris argumentum nulla ne tenui quidem aura perflati: quæ leui pulſu nubeculam facilè ductilem ſuo diuaricatam tramite, hinc, aut inde detorqueat. Aer verò à

ven-

Digitized by Google

ventis prorſus exemptus, ac liber, ſpiritus infra detentos indicat, & ſubtus intumeſcentem procellam. Ex his liquido conſtat, à ſpiritibus intra terræ cancellos obſeptis terræmotus exciri. Spiritibus vim calor ſufficit: leuiſſimoque halitui tantum roboris adijcit, vt, emotis terræ cardinibus, non raro montes euertat. Sed quo pacto id fieri poſſit, paucis exequar. Caloris eſt, partes diſſoluere, quæ frigore concreſcunt. ſolutis ampliora ſpatia, fineſque protendit ijs, quæ ſpiſſata continebantur in arcto. Hinc fit, vt exhalatio, calore quaſi ſe maior effecta, in propinqui corporis ſedem inuadens, illud conetur è vicinia deturbare. Siquidem idem ſpatium à duplici corpore occupari nequit. Et quemadmodum ab hac rerum vniuerſitate locus excluditur planè vacuus: ità quoque duplicato plenus, neque inane, neque ſuperfluum probante Natura. Quamóbrem, ſicut ad ſubterfugiendum vacuum ſubitos aquarum aſſultus videmus, nullo impellente ſurſum, & alia id generis vſque ad miraculum: ita non minore Naturæ ſtudio prohibet, corpus geminum vnico includi ſpatio: quam Philoſophi *penetrationem* appellant. Eius odio terra conuellitur, atque in hiatus diducta diſcerpitur. Etenim quandoque calor tanta vi funditur, vt & maximam ſpirituum copiam quamcitiſſime procreet, & iam procreatos e terræ meatibus, aut cauernulis, quibus quaſi ergaſtulis conſtricti tenebantur, educat. eductis extemporaneum domicilium quæritur: quando nequeunt ſine vlla ſede conſiſtere. Dumque corpora reliqua terræ ſinu inrũ intercepta obſtinate hoſpitium pernegant: vrgent illi vi caloris adacti, ac demum extorquent. Et quoniam, vt diximus, Naturæ legibus cautum eſt, ne plura vno loco conſideant: ſpiritus corpora ſibi finitima impellunt, vt eorum ſuccedant ſedibus. Ab his loco pulſis truduntur media, à medijs poſtrema, à poſtremis exitus aut ſibi, aut ſpiritibus intercurſantibus quæritur. Terra ſuæ obiectu molis obſiſtit. ita ſpiritus dum enituntur, dum premunt, dum premuntur, dum irrumpunt, dum erumpunt, terram cient. Hæc intra penitiſſimos naturæ receſſus oculis planè lynceis introſpexit Ariſtoteles. qui *cauſa*, inquit, *eſt motus ſpiritus; cum forte intro fluxerit, qui extra exhalat.* Ad inſtitutum redeo,

vnde

vnde modo deflexeram. Flagrant adhuc Veſuuiana viſcera, ac perpetuo per os voraginis tæterrimum fumum inhalant. Ignis initio materiam bituminatam, ſulphureamque depaſtus, quam ſpatia ſeculorum congeſſerant, magnum excitauit incendium. Hæc immenſa ſpirituum vis effuſa, dum inter hiatus anguſtias elideretur ad Montis latera: terræmotus eos conciuit, quorum vel ſola recordatione contremiſcimus. Nunc, cum vires nondum ſuas flamma conſumpſerit; & viuant adhuc, etſi aliquantulum conſopiti nunquam tamen intermortui, non modicæ ignis reliquiæ: noui ſpiritus intra Veſuuium, flammæ ſublatentis vi, in illa veluti Vulcani officina cuduntur: cuſi, aggeratique inflammantur: quippe ſicci, & calidi, ignique affines: inflammati concitantur ex imo ad ſublime: concitati terram pulſant. Hanc Ariſt. terremotuum cauſam in Veſuuiano igne proſpexit; dum ait, *terram à Sole, & ab eo, qui in ipſa eſt, igne incaleſcentem, multum quidem extra, multum quoque intra efficere ſpiritum* Additque paulò poſt, *ſpiritum eſſe maximè corporum motiuum: quia ignis, quando cum ſpiritu fuerit, fit flamma;ferturque celeriter*. Ex his facilè apparet incendij, cum terræmotu cognatio. Quamobrem mirum non eſt, incendio nondum extincto, adhuc vigere terræmotus. quaſi eo motu tellus ignem in venas illapſum conetur excutere, fremitu etiam indignationem teſtante. Illud hac in re difficultatem exhibet non contemnendam: quòd terræmotus fiunt, vt dictum eſt, cùm *ſpiritus intro fluxerit*. Si quando autem terræmotus contingunt, dum ſpiritus exhalatur: id ſolùm fit, cùm arctior eſt exitus, quàm vt capere turbam poſſit ingruentium ſpirituum. Tunc enim ij, qui detinentur, terram quatiunt. Atque id cauſæ eſſe diximus, cur inter Veſuuianæ conflagrationis initia, difflatis vndique ſpiritibus, adhuc terræmotus exiſterent, nempe propter anguſtias faucium. Quapropter obſeruatum eſt, amplificata voragine, terræmotus Neapoli per menſes aliquot ſiluiſſe. Nunc neſcio quo pacto integrati: dum ſpiramenta vaſtiſſima, perruptis repagulis, nubes fumeæ voluntatur. enimuero terræmotus prohibet expiratio. Quamobrem, vt à magiſtra experientia didicit Ariſtoteles, rarò æſtate terræmotus contingunt. Nimirum

Ariſt. loc. cit.

Ariſt. lib. 2. meteor. ſum. 2. c. 2.

mirum ſpiritus è terræ gremio per laxos nimio calore meatus nulla vi ſenſim ad auras prodeunt, ſubterraneis cauernis deſertis, quæ idcirco, vt in putealibus aquis apparet, æſtate ſunt, quàm hyeme frigidiores. Hinc etiam fit, vt terræmotus tum Autunno, tum Vere frequentiores ſint, quam vel hyeme, vel æſtate, per hyemem nimium conſtricto, per æſtatem nimiùm ſoluto halitu. ſcilicet inter niuium, atque ardorum iniurias incōcuſſa Tellus inter Autumni diuitias contremiſcere didicit, dum fructibus redundat; inter Veris delicias, dum floribus redimitur, magna infortunia ad dulciores anni partes traducente Natura. Quod ab Ariſtotele obſeruatum tranſcripſit Plinius. qui *Autumno*, inquit, *& Vere terræ crebrius mouentur. ideo Galliæ, & Aegyptus minimè quatiuntur: quoniam hic æſtatis cauſa obſtat, illic hyemis*. Gallijs Germaniam, & Aquilonares plagas; Ægypto reliquam Africæ oram, & Hiſpaniam adiungas, quæ ab Africa anguſto freto dirimitur: quod illæ regiones hyemem; æſtatem hæ referant: in ijs quidem terræ ſinum niuibus, geluque conſtrictum Solis calore ad gignendos ſpiritus minimè violante; in Africa vero, Hiſpania, & calidioribus regionibus expiratione perfacili terræmotus arcente. At Italia temperatiſſima Mundi regio, eæque potiſſimùm Italiæ vrbes, quæ verna gaudent cæli temperie, terræmotui maximè ſunt obnoxiæ; Sole ad ſpiritus procreandos, ſolo ad continendos idoneo. Ita pulcherrimam Orbis terrarum partem non terræ minus, quàm fortunæ moripus Natura ſubiecit: perpetua nutantem iactatione rerum, ac veluti concuſſu quodam collabentis felicitatis. Ad rem redeo. Si terræmotibus loca calida numquam, aut rarò vexantur, diſſipato, difiectoque halitu: cur adiacentes æſtuanti Veſuuio campi tam crebrò quatiuntur; dum per hiatus latiſſimos vndante fumo, liberè ſpiritus effluunt? Enodandæ difficultatis duplex mihi aperitur modus. Primus ducitur à caueis: à quibus voragini ſubſtratis fumi, & halitus fit expiratio. Nouem paulò poſt ortum incendij, vti ſupra in narratione diximus, deprehenſæ è quibus fumeæ nebulæ ad os voraginis euoluebantur. Paucis poſt menſibus repertæ tres, obſtructis cęteris quippe creuerat vorago ruina laterum: quorum partes deciduæ plura ex

næ ex ijs, per quæ halitus efflabatur, foramina obduxerant. Imbres etiam, qui poſt incendium, æmulatione quadam ignium, largiſſimi ceciderunt,intra montis hiatum effuſi ſpiramenta quædam fumi emiſſaria clauſere. Itaque redactis nunc in priores anguſtias, qui delitescunt, ſpiritibus, terræmotus repetuntur. Argumentum eius rei non leue ſunt terræmotus non ſemel ſecuti paulò poſt, quam è voraginis faſtigio exeſa fumo ſaxa deciderant. Obſeruatum quoque eſt, terræmotus hos non rarò eueniſſe poſt pluuias, ſiue oppletis infuſo imbre receptaculis, atque inde detruſis, pulſiſque ſpiritibus; ſiue conſtrictis terræ meatibus, per quos tenuiſſimus halitus auolabat. Vtramque rei huius cauſam reddidit Ariſtoteles, docens terræmotus fieri poſt pluuias, *& eo quod* inquit, *amplior fiat intus exhalatio* (quia ſcilicet expiratio intercluditur) *& eo quod intercipiatur in anguſtioribus locis, & compellatur in minorem locum talis ſegregatio, repletis concauitatibus terræ aqua*. Hac de cauſa vrbes crebris cloacis ad excipiendam eluuiem, atque ad mare tranſmittendam cauatæ aut minus quatiuntur, aut innoxiè. quod de vrbe Neapoli iam tum obſeruauit Plinius. Alter enodandæ difficultatis modus petendus eſt à copia ſpirituum: quæ quandoque tanta eſt, vt & expiranti flammæ materiem, & terræmotui ſuggerat. etenim, quando ſpiritus per patentes ad erem aditus ſiue inflammatus in ignem, ſiue abreptus in turbinem, totus effertur; incendia exiſtunt, aut venti: quādo totus terræ clauſtris occluditur: terræmotus: quando totus terræ clauſtris occluditur, terræmotus: quando partim effertur, partim clauditur; tum aëri fumum, aut flatum, tùm terræ quoq; motum ſummittit. Vidit hoc, vt cetera, Ariſtoteles. qui, *ſpiritus*, inquit, *aliquando quidem continuus extra fluit omnis: aliquando & partitur*. Hinc paulo poſt infert; *tranquillitate fieri plurimos, & maximos terræmotus: quia continua exiſtens exhalatio, ſequitur vt in pluribus impetum principij. quare aut intro ſimul. aut ſimul extra fluit omnis*. Subdit tamen, *quoſdam fieri terræmotus etiam flatu exiſtente*. Hoc ex eo deducit, quod præmiſerat, *ſpiritum non ſemper omnem extra, aut omnem intra fluere, ſed aliquando & partiri*. tunc enim pars ſpirituū

Ariſt. lib. 2. meteor ſum. 3; cap. 2.

Plin. lib. 2. c. 82.

Ariſt. ibidem.

liberio-

liberiorem ſortita exitum in ventos effunditur : pars terræ concluſa latibulis muſſitat: & inuidia, credo, aliorum, qui per aërem oiuagantur, obmurmurat. Addit etiam, *tunc terræmotus minores magnitudine fieri: propterea quòd diuiſum eſt principium, & cauſa ipſorum*. Hinc licebit non ſine ingenti admiratione conijcere, quàm exaggerata intra Veſuuij penetralia lateat vis ſpirituum. qui, dum continenter è ſupercilio Montis in flatus euoluuntur, ac fumum; eodem temporis articulo terræmotus non debiles, ac perraros, ſed validos, & crebros exuſcitant. Quota pars in aciem educitur, quando ij ſpiritus, qui veluti intra vallum ad cuſtodienda caſtra ſe continent, vehementiſſimè terram dimouent? enimuero dum palam flamma, fumo, cinere impetimur; per latentes quoque obſeſſi cuniculos pulſu ſpirituũ arietamur. Parum eſt, vnico bellum cum elemento geri: niſi ſimul in aërem, ac tellurem inuadatur. neq; aquis parcitur. Etenim hæc eadem ſpirituum copia, à quibus aër ſumo, tellus motu infeſtatur; aquarum etiam torrentes eieƈtat. Menſe ſuperiori ab ijs qui Veſuuij maritimas radices accolunt, poſt præuios terræmotus murmur auditum veluti decurrentis è monte torrentis. Ignis defluxum alias experti, comparauere ſe denuo trepidabundi ad fugam. Dum turbatur in oppidis, torrens aqueus in campos decidit. Ab aqua beneficij loco parua clades accepta, quæ ingens metuebatur à flamma. Erat eo die cælum impluuium, ne quẽquam ſuſpicio ſubiret ſubito collectæ ex imbribus aquæ, cumulatæque in torrentem. Quamobrem, cùm non appareat vnde repente nouus hic torrens extiterit; fatendum eſt, erupiſſe ex hiatu montis, efferueſcentibus, atque exultantibus aquis vi ſpirituum, quemadmodum, dum ollæ flamma ſubijcitur, aqua labris exuberat. Quippe montanis cauernis aquarum magna vis conditur, an delabentibus imbribus, atque intra hiatus montium receptis, an aëre frigido ſubterraneis antris incluſo ſenſim concreſcente in humorem aqueum. Vnde primo ſtillicidia, ac tenues fontium ſcaturigines; tùm inexhauſtæ fluminum perennitates. In quo ſenſu accipias illud Poëtæ

Virg. Georg. lib. 4 — *Omnia ſub magna labentia flumina terra.*

No-

Nouos è *Veſuuij* voragine proſiluiſſe torrentes, ſi cui fortaſſe videbitur incredibile, legat Cardinalem Contarenum in Libro ſecundo de elementis. vbi teſtatur, ſe valentiæ in Hiſpania vidiſſe ſereno cælo ſubitum, dehiſcente terra, noui torrentis ortum, qui effuſus in campos vrbem verſus excurrit, vaſtitatem, & cladem importaturus. vnde cùm ſolo murorum obiectu arceri non poſſet; vix nouis aggeribus, obicibuſque repulſus, & corriuatus ad littora, tandem ad mare decubuit. enimuero eadem ſpirituum vis & terræmotus, & inundationes creat. Atalantam Græciæ peninſulam poſt terræmotum perrupto aquis accurrentibus Iſthmo, mari circumuentam atque inter inſulas repente aſcitam, tradit ex Thucydide Diodorus. Terræmotum, quo plurima Rhodiorum, & Aſiæ oppida conciderunt, conflagratio, vt obſeruat Baronius, & inundatio excepere. Terram ſub Gallieno motam, & per idem tempus multas vrbes: mari demerſas, narrat Trebellius. Nimirum iidem ſpiritus terram è ſua ſede dimouent; aquam è ſua: iiſque impellentibus, terra è centro, mare è littoribus exilit, violatis in vtroque elemento Naturæ legibus. Quocirca futurum terræmotum in aquis præſenties: ſi ſolito turbidiores hauriantur è puteis, *neque*, vt addit Plinius, *ſine odoris tedio*. Si quidem ſpiritus efferueſcentes ex imo in aquas inuadunt, antequam aggrediantur ad ſolida. Hęc de nouis terræmotibus, & torrente nuper exorto. è quibus anceps etiam coniectatio, accipientibus hæc multis in fauſti euentus omina, alijs in aduerſi. Fauet prioribus Vates Regius. qui *terra*, inquit, *mota eſt. etenim cæli diſtillauerunt à facie Dei Synai, à facie Dei Iſrael*. Quod de lege duarum tabularum à Deo inter terręmotuum fragores promulgata in Monte Synai, plures interpretum explicant. Etenim in Exodo ita legitur *Mons Synai fumabat, eo quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne; & aſcenderet fumus ex eo, quaſi de fornace. eratque omnis Mons terribilis*: ſiue, vt vertitur ex Hebræo, probante Saliano, & alijs, *totus Mons contremuit*. Quamobrem ſub incendium, & fumum Veſuoianum repetiti identidem terræmotus diuinæ, vt quidam rentur, ſunt præſentiæ argumenta, quæ maieſtati ſeruiant potius, quam terrori. ſiquidem *terra mota eſt*,

Diodor. lib. 3.

Baron. tom. 2.

Trebell. in Galieno.

Plin. lib. 2. c. 81.

Pſal. 67.

Vide Lorini. ibidem Exod. 9.

Salianus to. 2. anno 2544. num. 384.

Iſa. 6. *dum cæli diſtillarent à facie Dei Synai.* Terræmotu, & fumo, arcanæ maieſtatis indice, Deus Iſaiæ ſpectandum ſe prebuit. Quippe *domus repleta eſt fumo, & commota ſunt ſuperliminaria cardinum.* quòd ad Iouis aſpectum tradidit Maro, dum dixit,

Virg. lib. 9. Aen. *Totum nutu tremefecit Olympum.*

Terræmotu præterea Chriſti nouum è cælo ad terras acceſſum prænunciatum reperimus apud Aggæum, *Commouebo cælum, & terram: & veniet deſideratus cunctis gentibus.* *Aggæi 2.* Eo terræmotu, dum Chriſtus in Betleem naſceretur, antiquiſſimum Romæ templum corruiſſe, teſtatur Petrus Damianus. *Petrus Dam. ſerm. in natiu. Domini.* quaſi exinde Romana tellus, ethnica ſuperſtitione deiecta, ſeptem elata collibus, in occurſum conditoris aſſurgeret. Nimirum *Montes exultauerunt vt arietes, & colles ſicut agni ouium à facie Domini mota eſt terra.* *Pſal. 113.* Terræmotu quoque feſtiuiſſimo inſignitus, Chriſti rediuiui triumphus, referentis è deuicto Dite manubias. *Ecce,* inquit Matthæus, *terræmotus factus eſt magnus:* *Matth. 28.* quodammodo geſtiente tellure, & lapidibus ipſis præ lætitia exilientibus. Inter terræmotus fragores, & lapſus ignium Sanctus in Apoſtolos Spiritus effuſus eſt, terra velut ſeſe ad ſuperna efferente. Denique, ſi maximis minora licet adijcere, terræmotu Paulini obitus celebratus, eo terræ plauſu euecti ad cælum. *Lippoman. in vita 8. Paulini.* Terræmotu Ignatij Societatis noſtræ parentis è profana militia ad ſacram traductio nobilitata. nempe trepidatum tunc eſt, turbatumque apud inferos. *Ribadeneyra in flore Sanct. par. 2. in vita S. Ignatij.* Conſimili planè modo Franciſcus Ignatij ſocius, Indorum Apoſtolus terræmotum, qui in Inſula Mauri ipſo die Archangelo Michaeli ſacro contigit, interpretatus eſt, bono ciues animo eſſe iubens: ſiquidem mali dæmones ab Archangelo pulſi, inter fugiendum terram concuſſerant. *Turſellin. in vita Xauerij.* Fauſtiſſima hæc è terræmotibus omina ducũtur à quibuſdam timori aut demendo, aut leuando, terra etiã, dum mouetur, non tàm quietem, quàm inertiam dediſcente. Alij contra terræmotus in magni omen terroris accipiũt. Antiquiſſimum omnium ætatum memoriæ terræmotum inter ea fuiſſe memorant, quæ à Deo Pharaoni, Ægyptoque inflicta ſunt vulnera. Habetur id apud Euſebium ex Artapano, qui refert *Moyſen grandinem, & terræmotum noctu excitaſſe;* *Euſeb. l. 9. de Præp. c. 4.*

citaſſe ; vt qui terræ hiatus effugerent , grandine interirent : & qui vitarent grandinem , terræ hiatibus abſorberentur. Neque terræmotibus admixta grando, inter noſtra ſupplicia deſuit, dum apud nos toties lapidibus grandinauit. Grandini apud Aegyptios adiunctus eſt ignis. Quippe animaduer- Sap. 16.
tit Salomon . tunc *ignem ardentem in grandine , & pluuia* Pſalm. 77.
coruſcaſſe. Quod ſignificauit etiam Dauid, dum dixit *Tra-* Pſal. 104.
didit grandini iumenta eorum , & poſſeſſionem eorum igni. Et alibi. *Poſuit pluuias eorum grandinem* , ſiue ex hebræo, *lapidem concretum , ignem comburentem in terra ipſorum*. Denuo hæc graſſata calamitas in incendio Veſuuiano. ſiquidem Deus *tradidit grandini iumenta noſtra , & poſſeſſiones noſtras igni*. Namque exanimata iumenta, dum lapidatum de cælo : ac non prædia modo ; ſed oppida etiam integra, vicique exuſti. Illud præterea in Ægyptio igne prodigioſum, quod neque tenebras pelleret, neque pelleretur ab aquis
Etenim, vt perpendit Philo, *ignis ſplendor vincebatur à craſ-* Phil. l. 1. de
ſiſſimis tenebris. Quod teſtatur Salomon ijs verbis, *Ignis* vita Moyſis
nulla vis poterat illis lumen præbere. Hoc in incendio Ve- Sap. 17.
ſuuiano inſtauratum vidimus, dum Mons flammas, flammæ
noctem, ac tenebras funderent. Quod ſi tunc, vt animad- Sap. 16.
uertit Sapiens, *in aqua ſupra virtutem , ignis exardeſcebat* : hoc planè idem nunc, geminato portento, contigit : dum & incendium inter aquas vigeret, & ignis imperio mare, flammæ vnda decederet. Quamobrem ad terrores cæteros terræmotus quoque crebri acceſſere ; vt hos etiam, quemadmodum olim Ægytios, *deſcendens ſonitus perturbaret*. Quem porrò terræ fragor non exterreat: dùm modò frementi ſimilis, modò mugienti repente intumeſcit, aſſurgit, proſilit, deſidet: mox reſultat ſpiritu reciprocante? Quid, dùm fatiſcunt parietes, criſpant: concurrunt, vibrant, atque aduerſo motu quodammodo inter ſe arietant? Quid, dùm ſolum huc illuc inclinat, decumbit, nutat, vndat, abſcendit, iam iam aut impoſita supernè tecta ; laxatis compagibus, labefacturum ; aut, quod non raro contigit, diducendum in hiatus, ac pæne Inferos noſtris aſpectibus exhibiturum? Magna profectò ſunt iſthæc diuinæ iræ argumenta : quam tamen quotidie cumulatis ſceleribus pro-

 uoca-

Ephrem. Syrus l. 2. vitarum SS. PP. proem. Lipſ. tom. 2.

uocamus. Audiamus quid in euentu perſimili dixerit ſanctiſſimus Vir Ephrem Syrus. qui *terra*, inquit, *tremiſcens ſub noſtris pedibus commouetur. vt nobis metum incutiat: & ne ſic quidem ob noſtram duritiem formidamus. vrbes integræ abſorptæ ſunt, & loca ab ira Domini deſolata: & neque ſic trepidamus. Bella commota ſunt, vt nos timentes Deum pœnitentiam ageremus: & neque ſic conuerti volumus.* Hæc ille. qui ſermone etiam peculiari *de terræmotu* multis probat hunc ſecluſis naturalibus cauſis, ſæpe è Deo ipſo excitari ſiue ad cladem, ſiue ad terrorem. Id ethnici quoque cùm animaduerterent, è terræmotibus calumniam Chriſtianis conflarunt; quorum culpa dicerent, terram concuti à neglectis, & iratis Dijs. Ita de terræmotu, qui ſub Galieno contigit, teſtatur Origenes. eius cauſa ſacra per totam vrbem, totumque Orbem terrarum ingentia celebrata, addit Capitolinus. Adeo inſitum eſt vel imbutis falſa religione pectoribus, terra labante, ad cælum confugere. Quod ſi apud eoſdem ethnicos, vt teſtis eſt Plinius, *parietes incendiorum deprecationibus conſcribebantur*; mirum non eſt apud Chriſtianos, vt refert è Cedreno Baronius, Iuſtiniano imperante terræmotibus diriſſimis perculſa Antiochia, dum publica priuataque ædificia iactarentur, ac paſſim aſſultantia tecta corruerent; domorum fores ad ſiſtendum, auertendumque terræmotum, ita conſcribi cœptas. *Chriſtus nobiſcum ſtate*. vrbe exinde indemni: cùm tellus, quæ ad Chriſti vltoris imperium deſæuiebat, ad eiuſdem nomen, ac nutum conquieſceret. Enimuero terræmotus non ſemel à Deo ipſo immitti, è ſacro codice compertum eſt. Terræmotu ad tubarum ſonitum ſummiſſo, muri Hiericuntini conciderunt. Terræmotu præferente miraculum, vt Salianus animaduertit, exercitus Philiſtinus ad internecionem deletus. Terræmotus, Chriſto moriente, ſupra Naturæ leges exhibitus, duodecim, vt narrat Plinius, vrbes in Aſia proruit. quanquam tunc quoque diſſiluere Montes; abraptiſque in immẽſum hiatibus, quot voragines, tot ora tellus aperuit ſui conditoris interitum conqueſtura. Poſtremo, vt ſileam de cęteris, terræmotus extremum Orbis terrarum præcurret excidium, quod ipſemet Chriſtus præmonuit. *Erunt*, inquit. *ter-*

Orig. contra Celſum. Capitol. in Galie. t. 6.

Plin. l. 28. c. 2.

Baron. to. 7.

Paraphr. Chald. in Ioſue c. 6. Salian. tom. 3. anno 2964. nu. 67. Plin. lib. 2. cap. 48.

Matth. 24.

terræmotus magni per loca. ſiue Mundi iam conſeneſcentis interitum, vt ſolet in morbis accidere, agitatio, tremorque antecedat: ſiue eo motu incumbentia vndique ſcelera tellus nitatur excutere, impar tanto ponderi moles. Denique, vt paucis cuncta concludam, terræmotibus his datæ tragœdiæ plauditur, dandæ præluditur.

AD DEI GLORIAM,

AC

DEIPARÆ.

HIERONYMVS MARCHESIVS

E' SOCIETATE IESV

Prouincialis in Prouincia Neapolitana.

CVM libellum de nouo in vniuerſa Calabria terræmotu à Patre Iulio Cæſare Recupito Societatis noſtræ latinè conſcriptum, ij, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucē edi poſſe probauerint: nos, poteſtate nobis facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Generali Mutio Vitelleſco facultatem, vt in lucem edatur, concedimus: ſi ijs videbitur, ad quos editio librorum ſpectat. Neapoli die 26. Septembris 1638.

Hieronymus Marcheſius.

Admodum Illuſtriſs. & Reuerendiſſ. Domine

Vidi hunc librum, & cenſeo imprimi poſſe. Dat. Neap. 5. Septembris 1638.

Alexander Ruſſus Canonicus deputatus.

Idem dico.

D. Io. Dominicus Auliſius, Canonicus Deputatus.

IMPRIMATVR

Alexander Lucianus Vic. Gen.

AD

AD EMINENTISSIMVM, AC REVERENDISSIMVM S. R. E. Cardinalem BARBERINVM.

IVLII CÆSARIS RECVPITI, è Societate IESV.

De nouo in vniuerſa Calabria terræmotu congeminatus nuncius.

DESTINAT ſibi noua calamitas eructatum ſemel Veſuuij cœdibus calamum, congeminato nuncio, dum clades congeminatur. Deuouet etiam ſibi, Franciſce Cardinalis Ampliſsime, nomen illud tuum, quod claritatem auxit incendio, ac fama flammam nobilitauit. Eruptio illa Veſuuiana quaſdam clades peperit, quaſdam prænunciauit. Infortunium illud appellaueram; ſed infortuniorum vaticinatio fuit. Incendium præferebat: ſed portentoſus erat cometa, ex editiſſima aëris regio-

regione, oppidorum, vrbium, prouinciarum ſtragem, paucis poſt annis, veluti cauda tracturus. Fragor ille inter prodigia recenſendus, qui diſſitas quoque regiones exterruit, cœli ſonuit veluti claſſicum, quo toti Neapolitano regno bellum indicebatur. Terræmotus ij, quibus quatuor, vel quinque oppida corruerunt, paruæ velitationes erant, maiorum præluſiones certaminum, & prima quædam tentamenta pugnandi. Pronunciaueram abſolutam planè tragœdiam, ac reductum ſcenæ ſiparium: ſed luctus inſtauratus ex integro, quæque malorum extrema videbantur cadentium, exordia fuere naſcentium. Denique multò acriùs, ac vehementiùs Veſuuiani incendij cineres recaluere. Rem ità contigiſſe, vt ſubijciam, ex auctoribus fide dignis compertum. Dies intercurrebat Martij menſis vigeſimus ſeptimus, qui in Sabbatum inciderat, nobilem à palmis appellationem ſortitum: ne palmæ ſine cœdibus forent, mox funeſtandum. Hora data iam erat prima ſupra vigeſimam, Sole ad occaſum vergente, quaſi luctuoſum ſpectaculum auerſaturo: cum terra repente mota Calabriam tum citeriorem, tum vlteriorem, celeberrimas Neapolitani Regni Prouincias, quà concuſſit, quà diruit: Meſſana Vrbe finitima, è damno non exempta, Neapoli non è metu. Nulla mali tam ingentis præſenſio, ante animaduerſo exitio, quàm periculo. Terræmotus nomen vnicum, ſed pernicie multiplex, non vno tenore ſtragem edidit: ſed alicubi ſæuiùs, clementiùs alibi: diuina, credo, dextera moderatrice, & veluti circumducente cladem. Hanc in primis paſſa Conſentia, Calabriæ citerioris caput, altera regij magiſtratus ſedes, vrbs nobilitate ciuium, & antiquitate percelebris; oſtentans inſignia ſeptem collium; quod in totidem videbatur locata cum oppidorum corona, quodam veluti luſu naturæ Romam paruulam effingere connitentis, duplici flumine Crate, & Buſento vnius Tyberis vices implentibus. Magnificentiùs hic graſſata calamitas multæ domus dirutæ, quaſſatæ omnes. Duæ caſtri turres planè ſolo æquatæ. Quatuor aſſurgebant muralibus in faſtigio pinnis diſtinctæ, ſiue ad ſpectaculum, ſiue ad munimen. Nunc vna vix ſupereſt. Nam duabus terræmotu deiectis, tertia ſuperiore anno fulmine icta deciderat. Strauere

Leander. Albert. deſcript. Ital. in 7. regione. Henrici Bacch. in deſcript. Regni.

uere, ſine vllo tormento bellico, turres tres fragores duo, cœli alter, terræ alter, in vnius arcis ruinam cœlo, terraq; quaſi inito fœdere, conſpirantibus. Neque multò minor in palatio regio iactura. Quod olim Proregum Hiſpanorum regia, cum Galli Neapolim obtinerent, nunc nihil admirandum retinet; præter lapidum ſtruem, quaſſoſque parietes: vt damnata videatur ad ſupplicium domus, in qua cęteri damnabantur. Neque aut templa fuere immunia, aut tutiora cœnobia. Turris, Chriſtiano ritu, regia munificentia, ad ingentis tympani loculamentum extructa, Archiepiſcopalis templi ornamentum, ſupra ædem ſacram decubuit, alamq; diſiecit. Duo præterea Patrum Franciſcanorum cœnobia corruerunt, vt ne ipſis quidem reorum aſylis vlla fuerit in hac clade ſecuritas. Collegium Societatis Ieſu occupauit ruinam, quam non multò poſt vetuſtas tuliſſet: tribus tamen cubiculis, quę firmiora erant adhuc ſtātibus, ſed rimoſis. Quod vitium in alijs etiam apparet ędibus: quę terræmotui ſuperſtites ſolo, parietibus, lacunaribus diffiſſis, per immanes hiatus perſpicuè caſum minantur. Ità in ædificia vrbis ſęuitum, ſed indultum ciuibus. Habuit hęc ſuum ruina ſpatium; & terræmotus initio lentior monuit incolas, vt in apertas planities, atque in loca tutiora profugerent. Viginti circiter oppreſſi periere (numerus in tanta eius vrbis celebritate perexiguus) quibus fortaſſe aut ſegnis ætas, aut ægra valetudo pedum celeritatem inhibuit, malo præcurrente remedia. Vni tamen fuga mortem, aut maturauit, aut intulit. Mercator, cum ad officinæ fores neſcio quid negotij pageret, ac terræmotu obſtrepente, in ampliorem ſe plateam quanta maxima poterat celeritate proriperet, in deciduum parietem incidit; ac magnificarum ædium ruinis eliſus ſplendidè occubuit, incolumi tectulo, vnde prodierat. Futurus documento mortalibus, fruſtra nos mortem effugere: quę, dum relinqui putatur à tergo, obuiam ſe commonſtrat è fronte. Hunc lethi fuga ad lethum impulit: alteri pietas memorandum poſteris exitum dedit. Barbara Teleſia, clari generis fœmina, primo terræ ſtrepitu territa, conuulſæ domus egreſſa limen ſe in tutum eduxerat. Sed mox, vt animum recepit ex metu, mentem ſubijt fili, inter mortis fau-

Henrich. Bacch. in deſcript. Regni.

ces

ces deſertus, cui per ætatulam nec conſilium, nec vires ſuppetebant ad fugam. Hac memoria ſui immemor, per ſaxa, per pericula, per ruinas, eò interrita redijt, vnde pauens præfugerat: fortiùs quidquid accidiſſet latura, ſi cum chariſſimo pignore communem vitæ, mortiſque aleam ſubijſſet. Verùm, dum mater puero inconſultiùs conſulit, quàm res poſcebat, improuiſo tecti delapſu in mutuo complexu vterque perijt: ſuffocata etiam prole, quàm mulier nondum enixa conceperat. Quatuor ſanè in vnico euentu portenta. Barbaram peremit pietas. Vnius quæſita incolumitas tria capita extinxit. Vni mors obtigit ante vitam. Huic vterus euaſit in tumulum. In ſcholis etiam, quas vocant pias, tres aut quatuor pueri occubuere, qui inter ipſa ætatis primordia, cùm prima legendi rudimenta diſcerent, extrema pati didicerunt: inter elementa Grammaticæ, duriore hauſti elemento. Patres tamen, qui tam pio vacabant operi, omnes integri, illæſique. Conſimilis Dei prouidentia in patribus noſtræ Societatis eluxit. Nam ij omnes, quorum cubicula conciderunt, foras prodierant: eorum, qui intus aderant, cubicula ſubſtitere. Inter hos ille, qui hoc anno in Archiepiſcopali templo ſumma cum laude concionabatur, cum ad inſequentis diei concionem totus incumberet, terræmotu ab ea cura diuulſus, aliò cæpit cogitationem, ac pedem auertere. Mirum dictu: quacunque ille gradum feciſſet, illico parietes, tecta, ſcalæ relictæ à tergo ruebant; quaſi tantummodò expectaretur ad horum ruinam aliena incolumitas. Diceres continuiſſe ſe illa tantiſper, ac veluti timuiſſe ne læderent. Magiſter ex ijs vnus, qui Grammaticam in eo collegio docebant, terræmotu exaudito, diſcipulos præiuit ad fugam. Interuallum datum, vt omnes pedem efferrent. Cum ad ianuam accurrerent, ædificij pars ante fugientium oculos corruens fores obſtruxit. Territi regredi, ac referre curſum vnde diffugerant. Sed inter eundem, ex altera parte, primò ſuperſtans cubiculum, mox etiam ſchola vacua cecidit. Occluſo vndique exitu, nullus iam ſupererat transfugio locus; perdurante adhuc terræmotu, atque identidem ingraueſcente: ita vt conſiſtere non poſſent, progredi non auderent. His vndique circumſcripti periculis, dum

ex omni parte fugam adornant, ex omni etiam ruinarum
obiectis intercluduntur, animaduertit magiſter ſubiacentem
ſchalæ adhuc integræ anguſtiſſimum fornicem: qui, ſubmiſ-
ſis ingredientium ceruicibus, quatuor aut quinque vix ca-
peret. Eo ipſe ſe celerrimè contulit: quodque incredibile
videbatur, viginti diſcipulos (nam forte cæteros ad ſuum
quemque pagum dimiſerat) in eundem angulum ſibi hæren-
tes intruſit. Tectis hinc, inde, alijs ruentibus, alijs nutan-
tibus, & iam iam incumbentibus ad ruinam, mentis inopes
pueri flere, conclamare, magiſtri opem depóſcere, conge-
minatis his vocibus, perimus, pater, perimus. Iam exci-
tatus colliſione; caſuque lapidum puluis vſum oculorum
abſtulerat: nec qua euadi poſſet vlla ex parte apparebat: cum
fortè audita vox magiſtri alterius eum, qui deliteſcebat, qua-
ſi extinctum flebiliter appellantis. Ille in circumfuſa caligi-
ne eò gradum direxit, vndè ſonus accipiebatur; ac per ag-
geſtos obices, & ſaxa vndique collabentia, non tam ambu-
lando, quàm reptando, tandem ad plateam erupit, pulueru-
lentus, ac ſemiuiuus. Mox ſequaces pueros voce, manu,
ope eodem perduxit integros, ſoſpiteſque: ne vno quidem
vel mutilato, vel læſo. Hæc ita narraui, vt ab eodem ac-
cepi, minutiùs quidem, quia vera, & comperta: Dei numi-
ne non paruum prodente ſe vel in paruis. Non minor in al-
terius incolumitate admiratio. Nam, dum Philoſophiæ ma-
giſtro, & ſchola corruit, & cubiculum, ipſe vtrique calami-
tati ſubducitur. Enimuerò mane diſcipuli vacationem à
veſpertina lectione popoſcerant, magiſter annuerat: idque
præter morem, non ſine diuino nutu. Quippe gymnaſium
eo temporis articulo cecidit, quo nemo elabi potuiſſet; ſcha-
lis etiam, quà effugiendum fuerat, repente diffractis. Ità il-
le, dum ſuo ſe, ac diſcipulorum otio indulſiſſe putauerat, in-
dulſerat vitæ, vacaturus à labore, vt vacaret à funere. Idem
inopinatè accitus ad templum, paulò poſt delapſo cubiculo,
vndè diſceſſerat, lethum feliciùs effugit ignarus, quàm ſi
prænoſſet. Cæterùm cordatè hic, cùm ad ruinoſi templi fo-
res terræmotus initia præſenſiſſet, nihil moratus ad plateam
euaſit: vbi multos reperit lymphatis ſimiles, & iam con-
ſternatos in fugam; qui, ſacerdote conſpecto, noxarum ſo-

lutio-

lutionem lamentabili voce, nec ſine lachrymis, petiere. Ille alienæ magis memor ſalutis, quàm ſuæ, ſingulis culpa raptim audita (quod in rebus extremis licet) ſingulos etiam ocyſsimè ab omnibus expiauit. Ita breuiſsimo temporis ſpatio centum circiter confeſſiones excepit. Quod alij Patres inter fugam pariter præſtitere: quaſi Parthorum more fugiendo bellarent. Profectò vnus terræ tremor cunctis tremorem incuſſerat: atque inter alliſiones lapidum, corda ſaxea ſcindebantur. Augebat terrorem horribilis ex imo boatus, ſubinde quidem atrocior, ſed vno ductus ſpiritu per quadrantem (tamdiu enim prima hæc terræ iactatio tenuit:) tempus tantæ ſtragi perbreue, vni terræmotui longiſſimum. Ingerebantur oculis puluereæ è ruinis elatæ nubes, quæ ſereno cælo, diem obtexerant: ità vt non iuuare, non videre quemquam liceret. quod in immani alio terræmotu, ſub Traiani imperio, contigiſſe teſtatur Dio. Exaudiebantur diſſonæ voces hinc expectare, hinc ire iubentium, & fugientes ipſa quoque feſtinatio morabatur. Feriebat etiam aures ædium vndequaque cadentium fragor, qui terræmotui adſtrepebat: & puerorum vagitus, eiulatus mulierum, virorum clamor timoris index, ac doloris omnia latè loca compleuerat. Sed breui fuga ciuium ſolitudinem vrbi fecit. Itum eſt ad campos, extra pomœrium, prope vrbem: ibique per noctatum ſub dio: vt cœlum ſpectare cogerentur, quos tellus expulerat. Planitiem, ad quam quaſi dato ſigno aduolauere, Paradiſum vocitant: magnifica ſanè appellatione, & ea ipſa ciues alliciente; vt eò ſe reciperent à gehennæ terroribus, quos in vrbe reliquerant. Enimuero Paradiſi tunc ſimulachrum quoddam exhibuit; cùm nihil ibi niſi preces, imploratio numinis, ſcelerum deteſtatio, ſuſpiria, lachrymæ, Chriſtianæ deliciæ. Nam cum eò ciues, vt dictum eſt, ac Societatis Patres vndique confluxiſſent, à vigeſima prima hora ad noctem vſque dimidiam noxis confeſſione eluendis vacatum. Profectò nox illa diuinæ plus lucis attulit, quã multi Soles. Campus in templum mutatus, quando templa iam in campos abierant. Illud etiam ſcitu dignum, quod cum ſummi iuxta, atque imi, pueri, ſenes, mulieres, viri terræ damna metuerent, cœli iniurijs paterent, ſignea veluti

Dio in Traiano.

tento-

tentoriola (Barracchas appellant) mira celeritate ſtruxere; delecto à viris primoribus loco noſtris Patribus propinquiore, quò promptius eſſet ad confeſſionem perfugium. Crederes omnes ad militiam adſcitos, caſtra ibi metatos, bellum inferis indixiſſe. Neque, ſiquis obfirmatior fuiſſet in ſcelere, excitamenta ea nocte defuere ad pietatem. Viginti quatuor terræmotus identidem numerati, quaſi ferali ſonitu diẽ iræ furiales horæ diſtinguerent. Ita nox inter terræ fremitus, pauoremque mortalium tranſacta lamentis, clamoribus, precibus. Vt illuxit, ſtragem dies oſtendit, quam nox, vmbræq. cælauerant. Commouit omnium animos miſerabilis patriæ vrbis aſpectus, in qua viduata iam ciuibus nihil aſpicerent, præter fragmina lapidum & dirutas, aut ſemirutas ædium potiùs vmbras, quàm ædes. Iacebant alta palatia: & tot ſeculorum labores vnus dies pœne momento conſumpſerat. Ne hora quidem interfuit inter vrbem celeberrimã, & nullam. Ita non hominum ſolùm, ſed vrbium quoque funera deſtinantur. Nunc quando, quæ ſuperſunt domus ruinarum nunciæ, rimarum plenæ, vacuæ adhuc ſunt, & inhoſpitales, vrbem ciues ad opportuniorem ſitum traducere, ac denuo extruere meditabantur, reuicturam fortaſſe viuaciùs ex interitu. Iam dominicus ille dies affulſerat, qui Chriſti triumpho, & ſacratum diſtributione palmarum Chriſtianis ſolet eſſe lætiſsimus. Sed quis feſtiuè palmas potuiſſet accipere, victoriæ inſignia, inter tot magnas iacturas & maiora pericula. Tamen depoſcente populo, annuente Archiepiſcopo, ara noſtrum prope tentorium confeſtim erecta: ibique non eo ſolùm, ſed cæteris quoque hebdomadæ ſanctioris diebus ſacra rite peracta: pompa quidem, vt ferebat neceſſitas, incultiore; ſed inter Chriſti Domini inferias, ad lachrymas, luctumque cultiſſima. Non vnquam ſacri maiore pietatis ſenſu traducti dies. Supplicationes & frequentiùs obitæ, & ardentiùs. Emicuit in hoc Patrum Cappuccinorum ardor, agmen ducentium, & ſe loris acerrimè verberantium, cruentato tergo, quaſi firmum cum Deo fœdus eo ſanguine ſanciretur. Sequebantur puellæ deiectis oculis, laceris genis, effuſo capillamento, veluti crinium ſoluta lege, qua nectebantur, vt necterent. Excipiebat has turba mulie-

mulierum: quarum aliæ pugnis ora tundebant, lamentabili edito ſonitu, quo præficæ mortuos deflere ſolent: aliæ etiam, robore pluſquam fœmineo, ſpinis, clauis, cultris ſe aſperrimè lancinabant. Nec viri deerant, qui aculeatis ſe flagris diſcruciarent; partim ſaccis induti, partim reſperſi cinere; ſupplicia de ſe ipſi ſumpturi, quæ Numinis ira depoſceret. Antiquam eò ab Aſſyrijs traductam Niniuen credidiſſes, ad ſaluberrimas lachrymas non Ionæ, ſed terræ clamoribus excitatam. Hæc non modò inter luctuoſæ hebdomadæ tenebras, ſed in luce etiam Paſchatis ſpectacula exhibita: vt vel ipſum lætitiæ diem tanta calamitas funeſtaret. Acceſſerat ad doloris cumulum fames, ditiſſima inopum carnificina. Nam ex vicinis oppidis plurimi, qui bonorum omnium iacturam fecerant, confugere coacti ad vrbem, ſeu veriùs ad campos, ad quos aſportata vrbs videbatur. His, religioſorum Patrum induſtria, ditiorum liberalitate, commeatus ad victum ſuppeditati: ne conficeret incolumitas, quibus ruinæ pepercerant. Hæc ferme mihi de vrbe Conſentia luculentiſſimi teſtes, qui interfuere narrarunt. Sed neſcio quo pacto terræmotus in vrbe quodammodò ſe geſſit vrbaniùs, larium magis exitio, quàm hominum: in oppida vires totas, ac furorem effudit. Nam Conſentiæ terræmotus principio mitior per interualla deſæuijt, vniuerſam ſtragem triplici ſucceſſione partitus: in locis verò finitimis caſtella tunc deficere, cum cœpit. An quia in his minùs firma ædificia primus terræ afflatus deiecit? An quia, Conſentia ad montis radices locata, oppida editiorem partem occupant collium, prona magis ad præcipitium, & caſum. Quidquid id fuerit, Altilia, Belſitum, Aprilianum, Figlinum, Mottæ duæ, Dominici duo, S. Petrus, S. Stephanus, S. Hippolitus, S. Benedictus, Cellaria, Pedacium, Petra ficta, Spezzanum duplex, Mangonum, Paternum, Zompanum, Carpenzanum, Roblanum citiùs periere, quàm narro. Spatium, quod ſatis fuit ruinæ, pœnè commemorationi non ſufficit. Cæteri vrbis pagi, qui octoginta quinque in iiſdem collibus numerabantur, magna ex parte diruti: tantummodò non deleti. Ingens in his mortalium ſtrages, malo velociore quàm fuga. In oppido Roblano, quod olim Caroli V. hoſpitio, nunc

multi-

multitudine incolarum pœnè vrbem æmulabatur, cui ſuberat, viginti ſupra octingentos extincti, ſaucij octoginta. Inter hos Epiſcopi Vmbriaticenſis ex fratre nepos, parente, duobus fratribus, conſanguineis plurimis, maiore bonorum parte deperdita, ſupereſtes tantùm ad lachrymas. Multi in ædibus ſacris enecti reperere ibidem lethum, ac tumulum: quaſi pompam inferiarum ferente, non expectante fato. Eadem pœne vaſtitas ad alias eiuſdem prouinciæ vrbes, & oppida latiùs peruagata. Terinę altera pars deiecta, altera intacta: aduerſa, & proſpera velut ex æquo partiente fortuna: Iniquiorem illa præbuiſſet ſe ciuibus, ſi cum terręmotum effugerent, in Incendium incurriſſent. Nam domicilia in cãpo è tabulatis conflata ignis fortuitò indeptus magna ex parte combuſſit: ne lignea vrbs felicior foret, quàm ſaxea. Pulueri etiam tormentario applicitus, e ſclopis contra latronũ impetum inſtructis, æneam glandium tempeſtatem excuſſit: memorabili edita pugna, nullo milite, nullo hoſte. Terinenſes opportuna ſibi fuga conſuluerunt, modò terræ profugi, modò flammæ. Murgantia pleniùs cladem accepit: planè conſtrata ſolo, maxima cum internecione ciuium. Illæſo quidem Epiſcopo, ſed ad tantam egeſtatem redacto, vt tres tantùm nummuli ſupereſſent. quos ad Archiepiſcopum Conſentinum miſit, teſtes inopiæ, & ſolitudinis: cum, & pecunia deeſſet, & ciues. Beſidijs clades leuior intactis incolis: domus tamen quateſactæ habitatores reſpuunt. Mitiùs actum cum Patyco, vbi exceptis pauculis, ſtetere tecta. Marchionis palatio minæ intentatæ potiùs, quàm ruinæ. Duriſſimè omnium cum Sciliano, vbi cenſa incolarum capita ſupra quinque millia cum laribus partim oppreſſa, partìm abſorpta, in immanem terra ſubito dehiſcente voraginem. Euaſit cum pauciſſimis regius gubernator: Qui, cum fortè ſpatiatum iſſet ad campos, iamque aures, animumque percelleret terræmotus, retorſit illico ad oppidum oculos: neque oppidum vidit, neque templum, neque tectum ex ijs, quæ mille, & eo ampliùs, denſatis circumfuſa faſtigijs paulò ante ſuſpexerat. Vitam gratulatus ipſe ſibi, ſubditis, ac ditione deleta, vt vacuum gubernandi ſe ſenſit munere, præceps fugam corripuit, per agros, per ſaltus, per vias, per

Terina ex Ortelio, nunc Mantia.

Murgantia, nunc Martorano ex Barrio.

Beſidia nunc Biſignano ex Ortelio.

Paycos, nunc Paula, ex Barrio.

Blanda nunc Beluedere ex Ortelio. Thurium, nunc Terranoua ex eod. Syphaeum nunc Caſtrouillari ex Mazzella. Cleta, nunc Petra mala ex Barrio. De Regina Cleta Lycophron apud Ortelium.

auia: tota ea nocte errabundus; donec à locorum peritis Conſentiam deductus eſt, vrbis infortunio pagi exitium ſolaturus. Ne plura in re tam lugubri, varia alijs eiuſdem prouinciæ vrbibus, oppidis, pagis fortuna fuit: Ruſcianum, Blanda, Thurium, Rende perſtricta leuiter. Sypheum, nouam Pandoſiam ad antiquæ veſtigia excitatam, Rouitum, Citrarum, Laum, Platicum, Cletam denique olim ſedem Amazonum, Cletæ Reginæ domicilio celebrem, caſtellum nunc obſcuri nominis, clades afflixit ex parte. Caſtilio maritima, Roſa, Luzzum, S. Lucidus, Nuceria, Grimaldum ita penitus conſternata, vt non tam deiecta crederes, quàm craſa. In his æquauere ruinas funera. Nulla tamen res magis ſaluti fuit, quàm in terræ procella cœli ſerenitas. Hæc multos ex vrbibus, oppidiſque ad ſuburbia, ac villas allexerat: quò colonos omnes ferialis diei minimè feriatus labor impulerat. Campis tamen clades impar, par metus. Turbatum quoque, ac trepidatum in agris. Conſpexere, qui aderant, herbas repente, arbores, ſyluas integras circumduci; quaſi iam ex his extructa nauigia marinis fluctibus æſtuarent. Turres, quæ ruralibus caſis impoſitæ, atque inter plantas, per interualla, dubium an conſitæ, an conditæ, colles mira varietate diſtinxerant; ita funditus cecidere, vt ne veſtigium quidem exter poſteris indicaturum, vnde turres aſſurgerent. Terra quippe non diducta in latera, ſed rectà ſurſum, deorſum aſſiliebat, ita ædificia conuellens, vt in ſe ipſa ſubſiderent. Quocirca, ſub terręmotus initia, quidam Conſentiæ e noſtri Collegij feneſtra, herbas vidit, & arbores ſubſultantes, quaſi choreas ſaltibus agerent, fauſtum ad ſpeciem exordium in funeſtiſſimam tragœdiam deſiturum. Montis etiam eidem Conſentiæ impoſiti, quem veterem appellant, faſtigium magno fragore deſilijt, quaſi extremi iudicij imminente die illorum vota audirentur, qui dicerent *montibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos*. Tam ingens in campis clades ruſticos, cæteroſque, qui ruſticatum ierant, ad fugam impulit. Per ſyluas, per vepreta, per rupes ſe dedere præcipites, quaſi prędonum manus vrgeret à tergo. Vt deuentum non iam ad vrbes, & oppida, ſed ad reliquias vmbraticas oppidorum, atque vrbium, lapidum

tumuli

tumuli commonſtrauere cladem. Tum verò, metu in miſericordiam verſo, ſublatus ad cęlum clamor lares, patriam, parentes, liberos, coniuges lamentantium: quo gemitu alliſi denuo colles, ac iuga montium reſonabant. Tum ad effodiendas ruinas incubuere. Quiſque architectum, quiſque fabrum murarium, quiſque manipulum agebat. Nulli vnquam vſui oppotruniùs vomer adhibitus, quem coloni ex agris retulerant. Refoſſa humo, multorum corpora educta adeo lacera, vt vix vlla priſtinæ formæ imago appareret, nihilo ſecius ac paſſa lanienam ab hoſte. Alia modicè eliſa, oris habitu poſt recens fatum, inter vitam, ac mortem ancipiti. Calentibus adhuc membris relictus in uultu ſtupor, & quidam acer ad aſſurgendum conatus, ſed irritus. Extracti nonnulli ſpirantes, inter ſupremos ſingultus, luce recepta, quam mox amitterent, vt paruo interuallo bis perirent. His non auxilium allatum, ſed ſolatium; ad hoc vnum elatis, vt mox iterum efferrentur. Non paucis etiam tempeſtiuè ſubuentum, quos ruinæ non tam obtriuerant, quam obtexerant. Hi refecti ſuperuixere periculo, plerique aliqua corporis parte mutilati, pauci integri. Nec dubium quin alij quoque euaſiſſent, niſi terræ reciprocante motu, cum non tecta, ſed ipſæ ruinæ iam ruerent, & ſaxa hærentes in lubrico, ac ſubeuntes opprimerent, miſericordia rurſus in metum verſa, a cœpto opere abſtinuiſſent: alieno exitio, quid ſibi timendum foret, admoniti. Illorum ſanè miſeranda conditio, qui tunc omni ope deſerti, nec ſubita morte defuncti, aliquandiu inter ruinas vixere, vt eò atrocius interirent, quò lentiùs. Quænam porrò mens illis fuit, cum mole lapidum obruti, nec extincti, in terræ viſceribus tumulati ante fatum nocte oculis circumfuſa, nec liberè inter anguſtias meante ſpiritu, ſuſque, deque, & à latere circumſepti, neque aditum haberent, quo ſibi opem ferrent, nec quo depoſcerent? In ea rerum alea conſtituti; vt fame tandem, mœrore, pœdore, ærumnis omnibus enecandi, lethi quodam veluti ſtillicidio, nec diu viuere poſſent, nec citò mori. Hos non ante cupido ſalutis inceſſit, quàm deſperatio: nec priùs animi defecere, quàm vires. De Sciliano iam euerſo accepimus, flebiles auditos è ſolo gemitus, voceſque confuſas, facili con-

 niectu-

niectura ab oppreſſis imploratam opem ſuperſtitum. Sed planè incaſſum, quod obtecta voragine, abſorptis ædibus, paucorum labori tam altè obductæ moles obſiſterent. Admirabile id, quod ab oculato teſte accepi, repertam prope Nicaſtra, inter ruinarum monimenta, mulierem dubium an metu examinatam, an fame: infantulum verò in eiuſdem vlnis viuum, appreſſis labellis ad vbera, & hauſto vitæ pabulo è mortua. Incredibile id meritò videri poſſet, niſi recentiſſimo exemplo atteſtaretur antiquitas. Nam poſt ingentem Antiochiæ terræmotum ſub Traiano, *neminem*, inquit Dio, *viuum inuenire potuerunt, præter puerum, qui matris mortuæ ſugebat vbera*. Aliam præterea refert ſeruatam, quæ ſuo ſe lacte pauerat, ipſa ſibi nutrix, & infans. Traditur quoque de alijs in caſu conſimili, inciſa dentibus vena, aliquandiu ſuo ſe ſanguine ſuſtentaſſe: cum reſorberent, quē ſuderant. Quæ nunc tragica tot hominum millibus euenerint, quorum plurimi nec repente extincti, nec diſcrimini opportunè ſubducti, Deus profectò nouit: nos ſilentio inuoluere cogimur, quæ tenebris inuoluta cogitare horret animus, refugit calamus ſcribere. Illud tamen præterire non poſſum commemoratione digniſſimum, quod ex ijs vmbris flammæ maleficio veriùs, quàm beneficio euaſit in lucem. Quidam, ruente æde ſacra, trabibus fortè ſuperſtantibus, in fornicato aliquo intercolumnio incolumis ſeruabatur. Sed profectò iudicia Dei abyſſus multa. Nam cum ij, qui lapidum aggeres perſcrutabantur, cadauera, quæ commodè poſſent, efferrent, reliqua concremarent, ne eo halitu, e motu terræ lues aëri gigneretur, tabulata, ac ſtramenta igne cōcepto, & flamma latè fuſa, ſedem corripuere, cum qua is ea iactatione deſederat. Infelix incendio abſumptus: & quodammodo ſibimet aduerſante natura, quem terra demerſerat, ignis extinxit. Miſeram ſane conditionem mortalium, quibus ad vitam vnus, mille ad lethum aditus patent. Huic, de quo diximus, ignis exitio, alteri aqua ſaluti fuit. Ferunt paſtorem, patefacta eo terræmotu voragine, illico voratum cum grege: ſed cum eodem tempore, (fidem liberent, qui oppignorarunt: equidem plura traſcribo, quàm aſſero) torrentem ex hiatu terra ſummitteret, eodem impetu reductum

Dio in Traiano.

ad

ad auras cum pecore, quod terra rapuit, aqua reddidit, aër recipit. Ita ille ſemel terræmotu, denuo inundatione iactatus, duplici infortunio felix, planè perierat, niſi bis periſſet. Conſimile de Garzia Toleto Neapolitanæ arcis præfecto à maioribus noſtris accepimus, quem aliquando claſſe vectum prior vnda è puppi ad mare proripuit: poſterior è mari ad puppim reduxit, ex congeminatâ ſæuitia incolumẽ. Ita non diſpari euentu de duplicato veneno, quod vim prioris inhibuit, Auſonius ſic lepidè cecinit:

Et, cum fata volunt, bina venena iuuant. — *Auſonius in Epigr.*

Neque in terræmotibus inſolens, nouas aquarum erumpere ſcaturigines. Nam in monte Coryco, poſt terræ concuſſum, nouas fontium exilijſſe ſcatebras, Theophraſtus teſtatur. Quod etiam in bello Mithridatico prope Apameam Phrygiæ vrbem eueniſſe traditur. Nunc quoque hunc terræmotum ſequutos, nouos extitiſſe amnes prope Lametiam, incertus rumor vulgauerat, omnia in maius tollente fama. Sed facilè idem fluuius ruinarum obicibus aliò deriuatus, noui ſpeciem præbuit. Iam locus admonet, vt à citeriore ad vlteriorem Calabriam gradum tandem hæc narratio faciat. Huius caput Catacium, altera magiſtratus regij ſedes, vrbs & celebritate ciuium, & quod Gallorum obſidionem pœnè ſola diſpulerit, fideliſſimæ appellatione pernobilis. terræmotibus plerumque obnoxia, ac ſæpiùs hoc defuncta periculo: nunc grauem in ædibus paſſa perniciem, leuem in ciuibus. Quinque tantùm ex hoc terræ aſſultu capita deſiderantur, Inter quæ Ioannes Dominicus Bulotta, olim Romæ Canonicus, tum Epiſcopo Catacenſi à ſecretis, poſtremò Epiſcopi S. Marci Vicarius, qui longo morbo vexatus Catacium redijt: vt cœli clementiam captaret, terræ ſæuitiem expertus. Nam ab Epiſcopo comiter exceptus hoſpitio, ac priſtinæ valetudini redditus, cum in æde maxima quadraginta horarum in poſterum diem apparatui piè operam daret, ad primos terræ ſuccuſſus, ac murmura, illico in fugam effuſus, in parietem ruentem incurrit: quo oppreſſus interijt; ſoſpitibus ijs, qui ſteterant. Ita nihil illi magis exitio fuit, quàm cupido ſalutis, nouo experimento teſtatus perſæpe euenire mortalibus, vt mortem arceſſant, dum arcent. Par domus

Theophraſt. Conimbr. in Met. tr. 1 2. c. 8.

Cotanʃaro

Epiſcopalis, templique calamitas. Nam aula, anterius cubiculum, ſacellum, funditus corruerunt: & quidem tum domeſticis, tum hoſpitibus vacua, ſiue caſu, ſiue conſilio: lapillis fortaſſe, vt fit, deciduis ruinæ prænuncijs, ac præmonentibus fugam. Epiſcopus in interiori cubiculo cum noſtræ Societatis patre, ac duobus alijs negotia pertractabat. Hi duo deſiliere. Epiſcopus cum patre ſubſtitit: vtque id ſibi mutuo præſtitere, quod in rebus extremis ſolet, rei exitũ opperiri decernunt, quà ſe clades inferret, quà vitaretur incerti. Cæterùm multæ domus proſtratæ, concuſſæ reliquæ: adeo vt hic quoque, vacuis tectis, ligneas in campis ædiculas effinxerit ingenioſa neceſſitas: aliò veluti vrbe traducta, & Scytharum more, verſatili. Adhuc poſt duos fere menſes elapſos, dum hæc ſcribo, degunt plerique extra lares, alij extra vrbem, ante patriæ aſpectum velut exilio mulctati. Hic quoque ſupplicationes decretæ, quemadmodum de Conſentia diximus: itumque ad lachrymas, ad precationes, ad vota; cum noui ſemper per interualla terræmotus infremerent. Sed quoniam his malis Catacenſes aſſuetudine prope obcalluerant, terræmotus poſt viginti dies inſtauratus atrocior, ciues ad commune conſilium impulit, vt faſtigiata demoliti palatia, humiliora tecta conſtruerent. Quando nimis elata fulmini obnoxia, non cæli ſolùm, ſed terræ quoque motibus ſubiacent. Maior in reliqua prouincia ſtrages, quã vt apud exteros repertura ſit fidem. Inter prodigioſas fabulas poſteri recenſebunt, quæ ſeriem nobis texunt hiſtoriæ. Magna vrbium, atque oppidorum pars diruta. Nicaſtrum; quod paulò ante in Calabria oſtentabatur, nunc vbi fuerit, quæritur. Hæc vrbs funditus euerſa cum ciuibus exitũ habuit, vbique terrarum, publico luctu, deflendum. Intererant in Franciſcanorum templo horarijs precibus mulieres promiſcuè, ac viri fermè ſexcenti, muſicos inter concentus: cum reſonante longè aliter terra, templum, turres, tecta, muri, vrbs denique tota corruit; primò exiliens, tum decumbens, demum in ſe ſepulta. Conſepulta magna pars ciuium, tria millia perhibent. Non plura in bello funera, cum magna clades infligitur. Vicos etiam, ac finitima vrbi oppida idem turbo corripuit. Perlegi quaſdam eorum

Nicaſtrum Mangino Nicaſtra aliſs. Numiſtro Ortelio.

epiſto-

epiſtolas, qui diuino beneficio euaſere; vnus ſub feneſtra, alter ſub portæ fornice, tertius capite in foramen ingeſto: omnes, reliquo collabente ædificio. Quidam præterea, cum per areã ambularet arci ſubiectam, hancque ſuſpiceret pronã iam, ac præcipitem, pueris duobus, qui fortè tum ſuberant, arreptis in brachia, tantum planè ſpatij habuit ad ſuffugium, quantum moræ datum eſt ad ruinam: & ne ſaxorum fragminibus pateret, occuluit ſe, pueroſque ſub ſaxo: triplici corona ciuica dignus, quod præter ſe, duos quoque ciues ſeruauerit. Epiſcopus, quaſi nutu diuino præſagiret euentum, animi cauſa egreſſus ad prædium, dum voluptati deſeruire videbatur, ſuo capiti conſulebat, nunquam vtiliùs, quàm in hoc otio negotioſus. Prærepti quoque ab exitio alij, qui per agros, & campos diuagabantur, feliciter extorres à patria. Hi ferali accepto ſonitu, cladis infeliciſſimæ nuncio, acceſſere protinus ad muros: neque muros, neque vrbem reperere, quam florentem, intactamque reliquerant. Obiecere ſe acerui lapidum, & confuſa quædam rerum congeries, ſimulachra vrbis, quæ fuerat. Obortæ omnibus lachrymæ, obuerſante ante oculos repentino patriæ excidio; inter tot ciuium, qui ſupererant, damna; qui obierant, funera. Querebantur calamitates alijs per interualla, ac minutatim accidere: ſibi amicos, affines, parentes, natos, coniuges, lares, ſuppellectilem, patriam vnico momento ſublata. Integram ijs collachrymationem deberi, quando nihil reſtet amittendum, quod defleant. Nullum iam ſupereſſe ſolatium. Ne cadauera quidem extare, quibus iuſta perſoluant. Ergo non metu, non periculo territi, obmurmurante adhuc tellure, irrupere in ruinas. Sed, dum vita functos quæritant, incurrunt in viuos. Accipiebantur ex cœco tenuiſſimæ voces veluti lamentantium. Quamobrem ſollicita ſonos aure captare: & ſicubi gemitus audiretur, illic ſolum ferro proſcindere, quaſi ſuos victuri pœnas cœdis à terra depoſcerent, quæ patrauerat. Pars opus vrget imperio, pars conſilio, pars ligone. Tandem, perruptis obicibus, ad caueas factus eſt aditus. Pauci ad auras extracti ſemimortui, qui tumulati fuerant ſemiuiui. Duo præterea inde traduntur non prætereunda ſilentio, ſed poſterorum memoriæ conſignanda. Al-

 terum,

terum, in ipſis ædium fundamentis inuentos paſſim globos cinereos,quaſi vrbs nõ tam terræmotu hauſta, quàm incendio, abijſſet in cineres; à terra, & igne, iunctis copijs, illata clade. Alterum momoratu, dignum, Lametum fluuium prope Nicaſtrum, viſum rubricatis aquis, veluti ſanguine, currere: vt in eo Nilum agnoſceres vndas Ægyptijs renouantem ſanguineas. Vtriuſque prodigij cauſam, ne ſeries interturbetur hiſtoriæ, paucis infra perſtringam. Nunc, vt cœptam narrationem proſequar, inter cæteros, qui egeſta humo è ruinis viuentes eruti, eductiq; ſunt, eximia Laura Aquinas, Principis Caſtilionis, Nicaſtro etiam imperitantis vxor, nobilitate clara, pietate clarior, vtero grauis: vt in vnius ſalute duo capita ſeruarentur. Fato tunc erepta, infracto animo, effracto crure, malum in tam ingenti clade leuiſſimum. Non eadem Principi fortuna fuit. Nam, cum in geſtatoria ſella, iubilei cauſa, ſacras ædes obiret, decumbentibus vndique tectis obrutus, nec ſellæ, nec cadaueris per plures dies vllo extante veſtigio. Maxima profectò in tanto infortunio felicitas, quod mors illi obuenerit ritè confeſſo, percepta etiam pridie Euchariſtia: quaſi viaticum ad iter extremum ſibi compararet, vel neſcius. ſi omnia ad indulgentiam adipiſcẽdam iniuncta peregerat, ad ſuperos protinus euolaturus. idem pleriſque contigit, quos ea occaſione Sacramentis munitos mors ſubita deprehendit. Enimuerò, non ſine certo diuini afflatu numinis, hoc planè tempore Summus Pontifex, Iubileo indicto, ditiſſimos Chriſti ſanguine theſauros Eccleſiæ, Petri clauibus, reſerauit: vt poſtremo Iubilei die tot extincta hominum millia, eo incitamento culpis ante Paſcha præmaturè dilutis, à gehennæ interitu vindicaret. Nimirum non poterat, tam amara calamitas niſi ab Apibus effuſo melle dulceſcere. Redeo nunc ad Caſtilionis Principem, futurum hoc ipſo nomine celebrẽ apud poſteros, quod cui anguſtiores tumuli capiundo ſatis non eſſent, ſepulchrum vrbs tota condiderit. Principis fatum fere omnia, quæ ad eiuſdem ditionem ſpectabant, eadem ruina traxit. Nam in citeriore Calabria Murgantia, & Caſtillo; in vlteriore, de qua loquimur, Nicaſtra, Ferolitum, S. Blaſius eodem modo decubuere. Loquor de interitu oppido-

pidorum, quaſi hominum obitus memorarem. Eadem quippe facilitate diſperiere tot oppida, qua totidem homines perijſſent. Magna profectò iactura opulentiſſimæ domus, quæ aureorum quinquaginta millium annuos reditus numerabat. Quanquam, ſi vera ſunt, quæ conſtanter fama vulgauerat, damnine plus adiectum, an lucri, apud peritos rerum æſtimatores ambigitur. A patre Principis, qui nunc obijt, ingentem vim numeratæ pecuniæ aggeſtam eſſe compertum eſt. Ad quingenta aureorum millia aſcendiſſe traditur. Hæc ille in latibulo arcanè condiderat, naturam imitatus, quæ aurum cęlat, vt ſeruet. Locum nulli mortalium indicauit, hæredibus ſuo tempore detecturus. Prohibuit hoc inopina mors: Hæredes ſæpiùs id ſcrutari, magno ſemper labore, ſed irrito. Hoc anſam dedit firmo apud vulgus rumori, ruinas ex inſperato aperuiſſe, quod texerant. ſiue vertigo hæc fuerit inſtabiliſſimæ rotæ eodem impetu prementis vnà, ac tollentis: ſiue ludus in humanis rebus veluti iocantis fortunæ: quaſi oppidorum, quæ ſors abſtulerat, religione quadam, è veſtigio pretium perſoluiſſet, fortunatiſſimis ſanè ijs, quibus fortuna ex infortunio naſcitur. Hocan verè iactatum: an, dum de auro agitur, ſit inter ſplendidiora mendacia numerandum; longa dies aperiet: re nunc ſiue falſa, ſiue ve ra, prudenti conſilio reticenda. Certior Principis Sancti Mangi, ex eadem Aquinatum familia, in tam communi clade proſperitas. Egreſſus in campis, e bello regredientem filium excepturus mortem reliquit a tergo; diruto repente domicilio: vnde, niſi deceſſerat, deceſſiſſet. Natus certè parente poſt militiam ſeruato felicior, quàm cæſis hoſtibus miles. Soriani Comitem, Ducis Nuceriæ filium ſeruauit venatio, ad quam eo die cælum impluuium, ac placidum inuitauerat. Palatium cecidit, cum obequitaret in campis; feſtiuam necem meditatus, dum ipſi mors luctuoſa imminebat. Profectò nunquam minùs errauit, quàm cum per auia erraret: neque ei vlla tam iucunda prædatio, quàm cum prædatus eſt vitam. Enimuerò ſoſpitauerunt ſyluæ, quē vrbs peremiſſet. Cæterùm Epiſcopi quoque omnes ſeruati: ne in hoc rerum articulo ouibus paſtores deeſſent. Hos, obſecundante numine, intactos clades præterijt, latè in vrbes,

ac populos debacchata. Mileti vrbs pœne deleta. Domus Epiſcopalis corruit, Epiſcopo vix limen egreſſo, & ruinæ prærepto. Templum Sanctiſſimæ Trinitati dicatum, Abbatum dignitate conſpicuum, à Comite Rugerio magnificentiſſimè extructum, poſt tot ſecula concidit. Vt hinc facilè intelligamus, nihil inter mortales reperiri tam firmum, quod non aut vetuſtas corrodat, aut vis, vel fortuna conuellat. Minores ædes maiorum ruinas comitatæ, exitium vrbis pagi. Non multò felicior Medama, grauem quoque in tectis paſſa perniciem. Rhegij terræmotus minax, ſed mitis, ſolo fragore contentus. Quippe ſeruabat ciuium nuper extincto Archiepiſcopo lachrymas terræ, vt olim in Paulini Sanctiſſimi Antiſtitis obitu, innocuo ſonitu veluti condecorante funus. Nouo tamen terræmotu fere poſt menſem elapſum ſæuitis integrato, tantus ciues terror inuaſit, vt deſerta vrbe, vix conſilij compotes multò grauiora præſentibus expectarent. veriti fortaſſe terræmotum illi parem, qui extra omnem memoriæ aleam poſitus, promontorium Rheginum à Sicilia, interiecto freto, diremit: dubia Græcorum fide, & obuoluta tot ſeculorum congerie veritati tenebras offundente. Indicta celeriter ſupplicatio. Franciſci Xauerij, noui eius vrbis patroni ſtatua circumducta: quam comitati ciues fere omnes ſaccis, crucibus, flagris inſtructi. Manabat e tergo ſanguis, ex oculis lachrymæ: & glomeratis in vnum vocibus miſericordiam implorantium repercuſſæ valles, ac litora reſponſabant. Nec ſilendum, quod inde nunciant recentiſsimæ litteræ. Pagi Rhegini in tres diſtributi regiones accolæ ad eiuſdem Franciſci ædem ſacram turmatim ibant, terræmotum deprecaturi: cum vna pars viæ tedio ſubſtitit, duabus reliquis proſequûtis iter, quod cœperãt. Diſpar conſilium, diſpar etiam quã damnauit, qua probauit euentus. Nocte proxima terræmotus atrox eorum tantùm ædes inuaſit qui re infecta redierant: ab ijs, qui Xauerij templum inuiſerant, ne auditus quidem. Illis importuna quies terræmotum: his pium iter quietem peperit. Hæc ex vrbe Rhegio. Idẽ Tropianæ terror, idẽ periculũ, idẽ ſenſus animorũ ſupplicationes, cruciatus, preces; ingenti metu, dãno modico: quod vrbs mare deſpectans, in ſcopuloſis locata rupibus,

Tropiana nũc Tropia ex Ortelio, Poſt tropan dicitur Barrio.

bus, non contra hoſtium modò, ſed aduersùs etiam naturæ bella conſiſtat. In conſimili diſcrimine, ſors non diſpar Locrorum, S. Chriſtinæ, Hipponij, niſi quod huius oppidi pagi tres cecidere. Sorianum planè indemne: nec dubium quin D. Dominici beneficio. Napitiæ incolis tulit incolumitatem prodigium. Ferunt, terræmotu impendente, viſum è vicino litore ad duo paſſuum millia mare decedere: areſcentibus repentè vadis, quæ modò ſuperfuſæ vndæ occupauerāt. eo ſpectaculo paganos malum imminens odoratos, deſtitutis confeſtim laribus, ad ſyluas, monteſque immigraſſe: inſolito aquæ motu terræmotum prænunciante. Bryſtaciæ cum pagis, Subſicino, Philogaſo, Panaiæ, Monti ſancto, Monti ſoro, Caſtro manardo, Roccæ Bernardæ, Marcellinari, S. Floro planè proſtratis, ob hoc vnum non planè infelices ruinæ, quod ſuperfuere, qui lugeant. Infauſtior Vibonis conditio, vbi terræ hiatus fumum ſulphureum interdiu, noctu flammas emiſit; quo ſuis etiam Calabria Aetnis, ſuis Veſuuijs inhorreſceret. Luctuoſiſſimus omnium antiquæ Lametiæ, nunc S. Euſemiæ exitus. Qui pagus, commune nauigantium hoſpitium, vndè rates ſoluere, quò ſolebant appellere, ità cum accolis repentè diſparuit, vt vix, aut ne vix quidem ſaxula manſerint, monimenta, ſiue recentioris ruinæ, ſiue anterioris fortunæ. Lachrymabilem eius ſolitudinem narrauit, qui ſpectauit noſtræ Societatis Sacerdos, natione Germanus, germanæ, ideſt probatiſſimæ fidei. Libet hic quædam ex eodem adijcere, quæ totius ex ea parte oræ maritimæ ſtatum pœnè oculis ipſis ſubijciunt. Ille, ſuperiore anno, Principis Haſſiæ Lantgrauij fratrem, Catholicæ religioni auſpicatiſſimè redditum, ad Melitam inſulam comitatus, Romam regrediebatur, re confecta feliciter. Ergo, cum eo die, qui nigro ſemper erit calculo deſignandus, hic e Meſſanæ portu ſoluiſſet; & curſu proſpero, freti anguſtias, ac duorum marium inter ſe coeuntium procelloſa compēdia præteruectus, iam Rhegium & proximos Calabriæ tractus cymbula, qua vehebatur adraderet, mare ventis pœnè ſilentibus, ſpontè aſſultare viſum, atque efferueſcere, inſolito quidem æſtu, & nautis ipſis ignoto: in eum modum, quo in ollis aquæ, ſubiectis flammis, ebulliunt. Nauarcus inopinato malo percul-

Hipponium, nunc Montete Leone aliis Vibo. Valētia.

Napitia nunc Lopizzo, ex Bar.

Bryſtacium nunc Briatico ex Ortelio

Subſicinum, nunc Belforte, ex Bar. ſubciſinum Sigonio.

Digitized by Google

ſus ad Vulcanias inſulas, non longè a Calabria, proram, ac phaſelum obuertit. Sed, cum quò propriùs accedebant, eò magis infernè ſubſilerent vndæ, æſtuſque maior, quàm qui vitabatur, occurreret, nautæ ancipiti periculo impliciti remigrare coacti, & quas declinauerant Calabriæ oras relegere. Verùm, cùm adhuc ſubſultim emicarent ex ſe ſe fluctus, ac nauigiolum velut in ſaltus attollerent, vt primùm licuit, proxima Tropianæ vrbis litora tenuerunt. Vbi viribus, animiſque refectis, dum ad reliquum inter ſe comparant, ex improuiſo ingens ex terræmotu fragor auditus, quem par maris ferùor præceſſerat: ſubſtrato aquis ſolo prima terræmotus rudimenta inchoante, ac veluti ſub latebris condiſcente. Iactatio hic leuior quidem, quam alibi, vt ſupra diximus, ſed ſubinde prævalida paucas domos euertit, ciuium maiore metu, quàm clade. Tandem, quieſcente ſonitu, terræ agitatio non quieuit: ſed ea nocte, ac die etiam proximo, intremuere ſola terrarum: ita vt vnus continens terræmotus, ſed non vno ductus impetu videretur. Quocirca, cùm ij, de quibus diximus, cœptum iter proſequerentur, videbantur ijs ſubſultare litora, arbores, montes, tecta, oppida fluctuare: neque alia camporum, quàm æſtuantis pelagi ſpecies. Mirari omnes, quod procellas terris multò ſæuiores offenderent, quàm inter Charybdis, Scyllæque vortices nuper à tergo reliquerant. Exhibebant ſe paſſim congeſti ſaxis, cœmentis, aſſeribus, trabibus aggeres, cadauera caſtellorum, atque vrbium, & veluti naufragiorum eiectamenta. Turris Vibonæ, Napitiæ, Nicaſtri, S. Blaſij gnari locorum nomina recenſebant: res iam ſubtractas ex oculis non videbant, ſomniare ſe rati, ac nocturnis laruis illudi. Vt ventum eſt ad S. Euphæmiam, caſtellum de quo diximus, ſub ditione Melitenſium equitum nobile; hic ne reliquiæ quidem apparuere, quæ non pagum, ſed vel tenuiſſimam pagi memoriam retinerent, vt a peritis indigitari vix poſſet, hic fuit. Templũ ibi antea viſebatur religione ſacrum, antiquitate percelebre amplitudine auguſtum, ſtructura conſpicuum, parietum firmitate munitum, arcis in formam aſſurgens, propugnaculũ aduerſus Turcas, atque vnicum incolarum perfugium, ſi quando eà loca, aut pyratarum mioparones, aut hoſtium

etiam

etiam iuſta claſſis inuaderet. Turris, quam campanariam appellant, in tantam ſublimitatem efferebatur, vt ad triginta millia paſſuum proſpiceretur. Templum, turris, tintinnabula itâ terræ hiatu hauſta, & ſepulta, vt ne ſignari quidem poſſint veſtigia, quibus antea tanta moles, tamque inſana ſubſtructio nitebatur. Tum verò nautæ ad tam ferale ſpectaculum ſublato ad cælum, ſeu clamore, ſeu gemitu, deſiluere in litus: vbi recenti memoria oppidum viris, tectiſque frequens reliquerant. Curſitare hinc, inde, luſtrare omnia, ſingula oculis, auribus, manibus explorare. Nihil obuium niſi deſerta planities, muta ſolitudo, mœſtum ſilentium. Sabulum inſolitum occurrebat, calens, ac feruidum, quaſi ſubiectis ignibus torreretur. Tandem homo repertus ſaxo inſidiens, manu ori admota, contracta fronte, triſti ſupercilio, immotis palpebris, appreſſis labris, terræmotu immobilis redditus, & inter lapides prope ſaxeus. Neſcit profectò lachrymas magna calamitas, & ingens dolor querelas etiam amputat. Amiſerat hic bona, lares, amicos, conſanguineos, patriam, omnia. Lamenta ſupererant: hæc quoque ſors tam acerba ſuſtulerat. Hoſpites eo aſpectu attoniti, ſolati quoquo modo miſerrimum, nihil, vt opinor, vltra percontati, quando loquebantur cladem arenæ ipſæ vocales, ad cymbam celeriùs regreſſi, quàm venerant, deſeruere protinus funeſtiſſima litora, quà remis concitatis, quà velis effuſis Neapolim petituri: vbi hæc, vt à teſte oculato, & luculentiſſimo accepi, ita retuli. Traditum etiam inde, occupata omnia aquis paluſtribus, e ſolo ſubnatis; quæ ſe ad palmos ſeptem, octouo attollebant; ne oppidum excitare, ſiqui velint, poſſint; niſi, nouo Orbis terrarum miraculo, nouæ inter aquas Venetiæ ſubſtruantur. Hi è Calabria tunc citeriore, tum vlteriore nuncij. Non his tamen ſe continuit finibus tam vaſta calamitas: ſed traiecto freto Meſſanã tenuit, inter Scyllæos latratus admugiente terra. Templum Archiepiſcopale toto terrarum orbe celeberrimum, Virgini Matri ſacrum, cuius ea vrbs epiſtola gloriatur, æternæ beneuolentiæ obſide, aliqua ex parte delapſum didicit poſſe dirui. Turritus paries ex dextera templi parte longo tractu protenſus, ac faſtigiatis per interualla pinnis conſpicuus, ter-

ræmotus

ræmotui vi labefactatus: ſubiectam ædis ſacræ, vt appellant, nauim eodem turbine preſſit, merſitque. Ingens eo die ad veſpertinam Sabbati concionem auditorum multitudo conuenerat: tantaque ijs pietas magno ſtetiſſet, niſi ſuo Deipara præſidio præuertiſſet exitium. Quippe trabes, pinnæ, quæ cecidere per interualla, & nimbus puluereus e tectis mox caſuris excitus, offuſa caligine, periculi admonitos ad fugam impulit. Ita nouo miraculo puluis lucem tulit, dum ſuſtulit, viamque, dum obſtruxit, aperuit, mox redigendis in puluerem, niſi puluis prohibuiſſet. Septem tantùm exanimati. Inter quos mulier vix tum ſoluta culpis vita, & corpore ſoluitur. Confeſſario tamen intacto, cui ſeruando duæ trabes, cum ruerent, obliquauere ſe in fornicem: ne mors illi inferretur in vitæ munere. Tres quoque pueri, dum inconſultè trepidant, vnuſque alteri feſtinando fugam moratur, omnes præuolauere ad ſuperos, acerbiſſima ætate; maturante fatum immaturitate conſilij. Cæteri in fugam effuſi pernicitate pedum euaſere perniciem. Meſſanam terræ, Panormum aquæ motus iactauit. Pelago inundante, nauis in portu demerſa, cymbulis etiam pluribus maioris nauigij fortunam ſequentibus. Reddidit quodammodo ſuas ſibi natura vices, vt quando inſolita glacies hyeme fontes obſtrinxerat, vere mare exundaret. Neapolim terræmotus non tam afflixit, quàm attigit, velut ex longo itinere debilitatus, ac fractus; ita ſenſim, vt non paucorum ſenſus, atque aures effugerit. Terræ ſe aſſociauit rumuſculo Veſuuij flammula, qui tunc viſus modicè inardeſcere: quaſi, vt turres ſpeculatoriæ ſolent, ea montis arx latentem hoſtis aduentū, elata face, detegeret. Sub idem tempus, in vicino Abellæ oppido ingens arborum ſtrages vi ventorum: ne tunc erumpentes e terra halitus innoxij volitarent. Campania reliqua intacta, ne felicis nomen amitteret. Lucania finitimo malo correpta. Nam paucorum dierum interuallo Marateæ adeo terræmotus inualuit, vt vbique conſpicerentur parietes diſciſſi, diſſitique inter ſe: mox tamen eodem impetu coaluere. Quod ciues S.Blaſij, cuius corpus in ea vrbe colitur, tutelæ, ac patrocinio aſcribunt. Tarentum quoque terræ leuis perculit fragor, vt antiquam cum magna Græcia

cogna-

cognationem agnoſceret. *Poſtremò* Senæ in Hetruria conc cuſſæ, iam latiùs manante malo. Cæterùm, quò terræ non peruaſit motus, metus irrupit. Aſtra terrorem incuſſere ijs, quibus terra non potuit. excitata quippe his cladibus eorũ induſtria, qui ſydorum curſum ſcitè norunt inſpicere. Aſtrologos appellant, genus hominum inane, & ventoſum, duces promiſſis operans, vulgus terroribus, in vtroque mendax: dum portenta prædicunt, ipſi veriùs portentoſi. Ambigitur an inter hos recenſendus Petrus Paulus Saſſonius, natione Calaber, munere medicus; qui, hac ſerpente clade, cœpit magis horrenda præcinere. Terræmotum imminere, ſæuiorem non vni prouinciæ, aut regno, ſed toti fere orbi terrarum. Mare litoribus aut conſcenſis, aut effractis ad duo paſſuum millia exundaturum, maritimarum euerſione vrbium. Grandines eodem tempore quinque librarum pondere ruituras e cælo, quibus animantia, ac tecta ſubruerentur: Et, ne quod fingi poſſet aliqua ex parte perfugium, flammas erumpentes e montibus cetera vaſtaturas. Iudicium imminere mortalibus, non quidem ſupremum, ſed ſupremi quaſi prænuncium, ac prodromum. Excepta hæc primò credulis auribus ab imperita plebecula, tum traducta etiam ad proceres, non ſine ſuſpecione veri. Fidem conciliabat rumor, quod is tum Veſuuianum incendium, tum terremotum hunc recentiſſimum longè ante prædixerit. Appellabantur probatiſſimi teſtes, idque a multis etiam cordatiſſimis creditum. cum illud tantùm in controuerſiam vocarent, an id obſeruatione aſtrorum, an ope dæmonis, an numinis afflatu reſciuerit, quippe ille diuinam ſibi ſapientiam aſtare iactabat. Quouis modo id prænoſſet, exitum pertimeſcendum putabant. Res eò deducta eſt, vt in tota fermè Calabria incolæ ſeceſſionem, ac fugam meditarentur: quaſi ibidem deberet repetita calamitas recrudeſcere. Quanta etiam hic in vrbe regia facta ſit eo nuncio conſternatio animorum, credi vix poteſt; præteriti vaticinij fama fidem faciente mendacio. Irridebantur quidem ea præſagia a paucis: metuebantur tamen a non paucis: plurimi, vt dicam leniſsimè, non contemnenda cenſebant. Recolebatur ab hiſtoriarum peritis, ætate Franciſci Petrarchæ, conſimile vaticinium, tanto po-

pulo-

Praeſt. Petrarcha in Epiſt.

pulorum terrore, vt Ioanna adoleſcentula regno potita, nudis pedibus, ædes ſacras obierit: tanta etiam euentus vaticinio reſpondentis fide, vt prænunciato die horribilem terra boatum ediderit: mare Neapoli exundarit, voratiſque in portu nauigijs ædiculas litorales demerſerit, magna mortalium ſtrage: dies quoque noctem effuderit, extincto ſub ortum Sole; cælo, terraque mundi interitum conclamantibus. Grauiora nunc timebantur recentiſſimo Calabriæ exemplo. Hæc paſſim in triuijs, in angulis, in foro, in aulis ſermone omnium ferebantur: territis ſemel animis ad metuenda deteriora pronis. Damnabatur cenſorio ſupercilio ab Ariſtarchis credulitas; ab alijs, par huic vitium, ſecuritas. Itaque ad montana loca diffugere nonnulli cœperant, alij decreuerant: exundatione maris maiorem incutiente metum, quàm montis flamma, cui aſſueuerant. Trepidatum præterea in toto regno, quò celerrime rumor manauerat. Sed profectò tam vaſta mendacia mole ruunt ſua. Captus ille iuſſu regij Magiſtratus, ac Neapolim perductus. vbi vocatus ad quęſtionem damnatus eſt ad triremes: vt in lignea arca ſe clauderet, qui diluuium præmonebat, mare remis ſollicitaturus, vt exundet, iuxta præſagium. Ductus publicè per plateas, inter confertiſſimam multitudinem exceptus ſibilis, probris, pugnis, calcibus, vulneribus a turba antea metuente, poſtea indignante metum: ita vt magno ſatellitio ſeptus vix vulgi manus, ac furorem effugerit. Nec deerant, qui votis eum ſuſpendio deſtinarent; quaſi laqueo mendacium ſtrangulaturi. Cæterùm, quod his præteritum terræmotum prædixerit, pernegant aliqui: cum plerique id generis hominum poſt euentum diuinent. Sed, ſi res ad veritatis trutinam expendatur, pro comperto id habitum apud multos, qui ſuo teſtimonio aliorum fidem extorquent. Equidem ita cenſeo, ex Almanaco, vt appellant, Benincaſæ, in quo terræmotus hoc anno prænunciantur, a Saſſonio Calabriam, in qua degebat, quod terræmotibus eſſet obnoxia, deſignatam. poſtea euentu animoſiorem redditum, temerè adiecisse maiora, perlecto fortaſſe præſagio eodem: in quo menſis Maij dies quintus periculoſus edicitur. Conſultiùs profectò feciſſet, ſi ſuum ſibi exitium, non alienum præcauens, medicinæ arte contentus

tentus, humani corporis tremores, non terræ; humorum eruptiones, non fluctuum; febres, non incendia præſenſiſſet. Nunc e regio ad ſacri quæſitoris tribunal traductus triremem commutauit carcere, vt nouum ipſe iudicium ſubeat, qui commune cunctis iudicium minitabatur; pœnas audaciæ, niſi crimen diluat, luiturus. Hæc de metu ex cauſa planè inani, ac pœne ridicula. Sed grauiora non deerant, quæ timorem inijciebant non leuem. D. Ianuarij ſanguinem, vrbis huius theſaurum nullo capitis occurſu exhibuiſſe ſe ſponte mollem, ac liquidum claris authoribus traditur. Quod eſt, vt ſeculorum experientia docuit, in ipſomet prodigio prodigioſum, nec ſine calamitatum indicio. Nam, vt de cæteris ſileam, cum aliquando inter Paulum Quartum Romanum Pontificem, & Philippum ſecundum Hiſpaniarum Regem atrox bellum arderet, Duce Aluæ Neapolitano Prorege cum exercitu aduolante ad vrbem, atque obſidionem minante, tamdiu hic ſanguis, contra naturæ leges, extra venas ſe liquidum præbuit, quamdiu bellantium animi præbuere ſe duros. Tum eodem die, atque hora concreuit, quo pax firmata, atque obedientia Pontifici reddita: quaſi calamitoſis temporibus ſanguis hic, amore carnifice, ſe guttatim effundat, quot ſtillis totidem vocibus pacem, ac veniam apprecaturus. Verùm, cum Ianuarius non Neapolitanæ tantùm vrbis, ſed totius etiam ſit Regni patronus, ſanguis nunc vltro eliquatus ad præſentem Calabriæ cladem referri poteſt, quæ nondum planè detonuit. Additæ quoque vaticinationes aliæ, in magnis cladibus magna etiam ementiendi licentia. Dæmonem humana ſpecie per varias Calabriæ vrbes, ac pagos veluti concionabundum vagari, ac ſupremum mundi diem denunciare, parente mendacij, tam abſtruſæ veritatis præcone. Energumenum præterea exorciſmis coactum aperuiſſe crimina, quibus tanta clades infligitur, eaque publico chirographo conſignaſſe: adiectis minis, niſi reſipiſcant, grauiora imminere. Rhegij Deiparæ imaginem exudare viſam, ſponte humeſcente vultu; quaſi clementiæ parens tantis cladibus illachrymaſſet. Narrantur etiam, inter tot diuinæ iræ argumenta, alia, quædam eximiæ beneuolentiæ pignora. Redonatam cælo e ruinis, poſt

tres,

Digitized by Google

tres, & eò ampliùs exactos à terræmotu dies, cum filijs duobus mulierem Octauij Pariſij ſororem, hanc exanimem, illos ſpirantes, vegetoſque; nullo nec doloris, ne famis indicio. Admirabundi, qui aderant, ſciſcitari quanam vi in terræ cauernis, ac veluti inter ſepulchrales tenebras conditi tot diebus ſine cibo, potuque traductis, euaſiſſent tam integri, valenteſque. Affirmant illi quotidie iuuenem eleganti aſpectu, atque aureo amictu fulgentem apportaſſe fercula, panes, vermiculos farinaceos minutatim conciſos, piſces, omnia benè condita; frigidam etiam ad potum: quibus recreati, ac refecti dies, ibi, nocteſque nullo cruciatu, nulla fame tranſegerint. Suſpexere omnes diuinæ clementiæ munera: nec dubitatum quin hæc eius Angeli miniſterio contigerint, qui alterutrum ex ijs cuſtodiendum ſuſceperat: nouos Danieles Deo his temporibus excitante, quibus Angeli opera dapes deferrentur ad caueam: intra profundas terræ voragines, pœne Paradiſum expertis prope tartara. Nec reticendum, intra Quadrageſimales dies non niſi eos cibos allatos, quibus iuxta Eccleſiæ præſcripta, veſci liceret: Angelis ipſis, contra Hæreticorum perfidiam, ſolemnis ieiunij iura nouo miraculo conteſtantibus. Hęc inde ſcripta referre libuit; in quibus vera à falſis excernere aliorum eſt muneris. Noſtrum erit, quod ſupereſt, adductis iam ijs, quæ ad hiſtoriam pertinent, terræmotus eiuſdem naturales cauſas attingere; & iacturæ totius pretium, atque æſtimationē perpendere. Cauſa noui terræmotus agnoſcitur anni, in quo verſamur, pœne prodigioſa ſiccitas: quæ humore e terræ venis exucto, ingentem ſpirituum copiam procreauit. Spiritum appello cum Ariſtotele, eum halitum, qui ex terra gignitur; vaporem, qui ex aqua. Cauſa vtriuſque effectrix eſt calor, is præcipuè, qui vi Solis efficitur radiorum repercuſſu, aſſultuque ex obiecta mole, ſiue terræ, ſiue aquæ. Caloris enim eſt laxare, ac tenuare partes: quemadmodum frigoris eſt conſtipare, & denſare. Corpuſcula autem terrea, quæ calore rareſcunt, dicuntur ſpiritus, aquea vapores. Vtraque cum tenuitate leuitatem adepta turmatim in ſublime tolluntur. Porro e patrijs elati ſedibus vapor, & ſpiritus gregatim per ampliſſima ſpatia peregrinantur: neque vnquam

Daniel. c. 14.

Ariſt. 1. Met. ſum. 2. & 2. met. ſum. 3. cap. 1.

con-

conſiſtunt, donec ad ſecundam vapor, ſpiritus inter dum ad tertiam aëris regionem euadat. In tres quippe aërem regiones Meteorologi diuidunt, primam, mediam, ſupremã. Suprema regio calidiſſima, quia igni contermina. media verò frigida, quia & ab igne diſſita, & à calore, quem afflant, dum in terram impingunt, reſiliuntque radij. In hac vapor natiuo frigori reſtitutus, nempe aquæ progenies, quà ſpiſſatus opacatur in nubes, quà molleſcens eliquatur in imbres, quà rareſcens tenuatur in nebulam, quà diſiectus caneſcit in niuem, quà rigeſcens rotundatur in grandinem: ac ſemper tandem in humorem ſolutus. aquis redditur, vnde manauerat. Spiritus verò, terræ ſoboles, natura ſiccior, & ad ignem corripiendum aptiſſimus, ſiue materiam nactus exilem, & æquè protenſam: ardeſcere videtur in faculam, ſiue oblongam, ac tenuem, in ſtellas cadentes demittitur, ſyderum ſpeciem ementitus: ſiue paruam, viſcoſam, ac facilè mobilem, in ignem fatuum deſilit: ſiue multam, olearem, ac ſolidam in cometam igneſcit: vt flamma tremula, tanquam infauſto nutu, Regum fata prænunciet, quæ prænoſſe interſit orbi terrarum. Nonnunquam verò ſpiritus vaporibus intermixti, in media aëris regione detenti, prohibentur, nè ad ſupremam euolent. Tunc quidem, aut à corpore denſiore rurſum ad infimam regionem detruſi diſſlantur in ventos, pigritiam aëris diſcuſſuros, leuaturos æſtum, imperaturos Oceano, præbituros commercia omnium gentiũ: aut occluſi nubibus circumcurſant per latera, ſi quà poſſint erumpere, donec eo alliſu flammeſcant. Tum verò, perrupto obice, reboant in tonitrus, coruſcant in fulgetra, cuſpidantur in fulmina: quibus halitus è terra progeniti terram feriunt, velut in parentem iniurij: montibus præcipuè infenſi, qui primi elato ſupercilio audent obſiſtere. Quorſum hæc tendant, & quomodo ex his proximi terræmotus cauſæ eruantur, oſtendam hoc Peripatetico effato. *Eiuſdem eſt naturæ ſuper terram ventus, in terra terræmotus, in nubibus tonitrus.* Verba ſunt Ariſtotelis Meteor. 2. ſum. 3. c. 2. quæ mirificè rem præſentem declarant. Annus hic apprimè ſiccus cælo fere ſemper innubilo, ſiccos halitus ſolitò plures creauit, & præditos maiore vi. Nam, vt Ariſtoteles ſtatuit, *Ariſtot.*

Ariſt. 2. Met. ſum. 3. c. 2. *in ſiccitatibus ſpirituoſus aer. (hoc ipſum enim eſt ſiccitas) quando amplior exhalatio ſicca facta fuerit, quàm humida.* Debuiſſent hoc anno ſiccarum exhalationum vi magna edi tonitrua: debuiſſet aër aſſiduis, validiſque ventis perflari. contra prorſus ante terræmotum euenit. tempeſtate ſicciſſima rariſsimi tonitrus. Plerumque cælum non proceolloſũ, non inquietum, non ventoſum. Scilicet in tanta aëris trãquillitate procella creabatur ſub terris. Clandeſtinæ ſtruebantur inſidiæ, cum hoſtis nuſquam appareret in acie. Nam eodem Ariſtotele teſte, *cauſa terræmotus eſt ſpiritus, cum*

Ariſt. ibidem. *intro fortè fluxerit, qui extra exhalat.* Prohibuit hyeme, ne ſuos halitus terra expiraret vis inſoliti frigoris: quo vel fontanas aquas conglaciatas aſpeximus. Obſtricti intra ſepta ſpiritus, ac terræ mole cohibiti muſſare, fremere, eniti, in obluctans ſolum irrumpere, vt erumpant: eo planè modo quo ſupernè intercepti ſolent nubes elidere. Halitus hoc anno non latrocinanti ſparſim per campos: ſed confertim immiſere ſe in cauernas: vt ipſa terræ munimenta; ac veluti mundi mœnia inuaderent. Pacatum ſe exhibeat aër, dum adoperta bella tumeſcebant ſub caueis. Infida cœli facies oculis adblandiebatur, cum vrbium euerſiones clam natura machinaretur. Nulli ventorum fremitus, vt infremerent ſola ipſa terrarum: nulli tunc nubium tonitrus, vt tellus to-

Plin. lib. 2. c. 80 naret ſilente cœlo. Obſeruauit olim hoc Plinius, cum dixit

Ariſt. loco cit. *terræmotus fieri, dum tempeſtates ſopiuntur.* Sed egregiè, vt aſſoles, Ariſtoteles *fiunt*, inquit, *tranquillitate plurimi, & maximi terræmotus.* idcircò ſubdit, *terræmotus qui fiunt die, fieri circa meridiem, quia tranquilliſsima eſt, vt in pluribus, diei meridies.* Rationem etiam ſubijcit, *quia continua exiſtens exhalatio ſequitur, vt in pluribus, impetũ principij. Quare aut intro ſimul, aut ſimul extra, fluit omnis.* Aut igitur omnis ſimul exhalatio extra terram tumultuatur in aëre; & tunc tonitrus, ac ventos ciet: aut omnis intro, & tunc exitu intercluſo ferocior, ipſa terræ fundamenta cõ-

Ariſt. ibidem. uellit. Confirmat hoc idem Ariſtoteles exemplo terræmotus, qui contigit in Achaia; vbi *tranquillitate*, inquit, *facta, & fluente intro vento, factus eſt terræmotus.* Quamobrem, cum pluribus hoc anno extiterit ob ſiccitatem ſpiritus, nul-

lus

lus ſuperiore hyeme extra prodierit, nimio terræ meatus obſtruente frigore: omnis intro concluſus, ineunte iam vere, laxata humo, magno impetu admolitus viam ad auras, terram quà concuſſit, quà ſcidit. Concuſſus terræmotum præſtitit, ſciſſio voraginem. Prior oppida, vrbeſque proſtrauit: poſterior hauſit, ac ſorbuit. Id etiam cauſæ fuit, cur ſub naſcentis terræmotus initia, maris vndæ, vt ſupra narraui, nullo ventorum impulſu ſubſilirent ex ſe ſe: quia, vt de euentu conſimili tradidit Ariſtoteles, *mare non dabat perflationem impetum facienti ſub terra ſpiritui, ſed obſtabat*. Ex quo id addiſcens Plinius, *Terræmotus futuros*, inquit, *nauigantes quoque ſentiunt, non dubia coniectura ſine flatu intumeſcente fluctu*. Huc etiam referri poteſt maris Panormitani, de qua diximus, inundatio, quod vi ſpirituum non longè erumpentium elatæ vndæ ſuperfunderentur litoribus; vt in ollis euenit, cùm aquæ ſuppoſito igne deſpumant. Ita, inundatione terræmotũ ſequuta, tradit Seneca Africã ab Hiſpaniæ, Siciliã ab Italiæ complexu diuulsã. Hinc etiam factum eſt, vt in S. Euphemiæ cãpis paludes, ac lacus accreuerint per terræ hiatus aquas immittente ſpiritu. Quod adnotauit etiã Ariſtoteles, dum dixit, *factis terræmotibus erupiſſe aquas*. Hæc de huius terræmotibus cauſis breuiſſime: quãdo de terræmotibus vniuerſim in noſtro de Veſuuiano incẽdio nũcio licuit, niſi res me fallit, non ieiunè differere. Inueſtigatum hactenus, cur hoc anno: inueſtigandum ſupereſt, cur in hoc potiſſimùm loco terræmotus obtigerint. Calabria peninſula eſt, quæ circumfuſi maris ex vtroque latere aquis alluitur. Porro intercluſis vbique ſpiritibus abundat mare, ſicco halitu regnum obtinente inter humida. Non enim ſalſum mare, quia terræ ſudor ſit, vt ſomniauit Empedocles: ſed quia *in mari id, quod eſt terra humido commixtum, cauſa ſalſedinis eſt*, vt egregiè docuit Ariſtoteles. Nempe Solis vi è ſubiecto vndis ſolo quotidie halitus euocante, & craſſo quodam lentore marinis aquis à natura indito terreorum halituũ expirationem arcente. Cum igitur hi cauſa ſint terræmotuum, quando acriùs incaleſcunt, & mare radijs excoctum ſolaribus, exhalationibus calidis afflat: loca maritima, & peninſulæ, quas mare vtrinque proluit, crebriùs terræmotu

Ariſt. ibidem.

Plin. lib. 2. c. 81.

Sen. Nat. q. li. 6. c. 29.

Ariſt. loco cit.

Ariſt. 2 Met. ſum. 1. c. 3.

iactantur. Teſtatur hoc, vt cætera, Ariſtoteles, qui *circa loca*, inquit, *vbi mare fluxibile eſt, fortiſſimi fiunt terræmotus*. Ex hoc fonte id hauſit Plinius, cum dixit *maritima maximè concuti*. Idcirco inſulę quoque, ſi cætera, adſint paria, terræmotu frequentiùs agitantur, vt de Cypro, de Tyro, de Ænaria, de Molucis, de inſulis, quas vocant tertias, Conimbricenſes teſtantur. De Sicilia, de Æolis, de Eubæa teſtatur ipſe Ariſtoteles. Peninſulæ verò alio etiam nomine terræmotibus ſubiacent, quod plerunque oblongæ ſint magis, quàm latæ. Idcirco anguſtiorem habent campũ, quàm vt turba ſpirituum ſubterraneis intercluſa locis impunè diſijci, diſsiparique poſſit. Quamobrem, vt verbis vtar Ariſtotelicis, *circa dicta loca terræmotus fiunt, maximè propter anguſtias*. Porro Italia peninſulam efficit triplici recinctam mari, Tyrrheno, Adriatico, Ionio. Neapolitanum regnum Italiæ pes dicitur. Huius extrema pars Calabria, in quam arctiſſimè deſinit. Quippe Italiæ longitudo ad mille, & ducenta milliaria tenditur: latitudo quà maximè patet, ad ducenta, quà minimùm, ad viginti. Idque in ea Calabriæ ora, vt teſtatur Plinius, quæ inter Scylletium, & S. Euſemiam, olim oppidum, nunc nudum nomen, interiacet. Altero quidem totius Europæ Iſthmo. Italia verò nuſquam anguſtiore, quam in ea ſui particula, quam priſci magnam Græciam appellabant. Inter has anguſtias deprehenſi ſpiritus, qui in terræ penetralibus delitent cum aliò traijcere nequeant, ſolum aggrediuntur, cui ſubſtant. Primò ſollicitant, tum quatiunt, poſtremò diſcindunt: vt aditum ſibi ad auras aperiant, per matris vulnera, per funera populorũ, per clades vrbium. Itaque terræmotus ſæuiunt in Calabria ob maris viciniam; ac terræ anguſtias: cum præſertim circumducta ſit montibus. Enimuerò locis montanis, vt Conimbricenſes obſeruant, terræmotus infeſtior, quàm planis: quod illa cauernas, & ſpecus condant in gremio, ſpirituum receptacula. Quamobrem natura Ægyptum, vt ex antiquiorum ſententia refert Seneca, è terræmotu exemit: quia in latiſſimas diffuſa planities ſolum continet non intus excauatum, ac peruium; ſed vndique coagmentatum, ac ſolidum. Porrò Calabria plerumque montoſa eſt, ac per cauatos

Ariſt. 2. Met. ſum 3. c. 2.
Plin. lib. 2. c. 80.
Conimbr. in Met. tr. 11. cap 6.
Ariſt. loco cit.
Ariſt. ibidem.
Plin. lib. 3. cap. 10.
Conimbr. tr. 11. in met. c. 6.
Sen. Nat. q. lib. c. 26.

natos introrſum receſſus domicilia præbet halitibus: quorum multitudo antris obſtricta acres excitat terræmotus: Criſt. loc. cit.
Quod nõ prætermiſit Ariſtot. dum dixit *fortiſſimos fieri terræmotus, vbi regio ſubantroſa, vt circa helleſpontũ, & circa Siciliã.* Huc accedit, quod Calabria ſulphure, & pice abũdat. Barr. Antiq.
Nã & non procul à Nicaſtris, & prope Caſabonã aquæ fluunt Calabr. lib. 2.
ſulphureæ: & pix magna copia è Calabria aſportatur ad illinienda nauigia. Neque ignes ſubterranæi deſunt, quibus alimenta præbeat materia ſulphurea, & picea: vt perſpicuè oſtendit Aethnæ montis in finitima Sicilia, & Vulcaniarum inſularum vicinitas. Primam verò terræmotuum originem tribuunt Meteoriſtæ flammis intra terram conditis. Vbi innumera ſunt ignium conceptacula, à quibus dimanant calidi, & ſicci igneæ naturæ ſpiritus. Ex his, dum facto impetu aſſurgunt, terræmotus. Quamobrem ex Plinio, *non* Plin. lib. 2.
aliud eſt in terra tremor, quàm in nube tonitrus; flamma c. 29.
vtrobique inter obſtantes aggeres eruptionem tentante.
Primus omnium docuit id Anaxagoras: ſed optimè omnium
Ariſtoteles, qui *terra*, inquit, *per ſe ſicca à Sole, & ab eo* Anaxagora
qui in ipſa eſt, igne incaleſcens, multum quidem extra, mul- apud Sen. nat.
tum quoque intra ſpiritum efficit. Et infra. *Maximè cor-* qu. lib. 6. c. 8.
porum motiuus eſt ſpiritus. Etenim ignis, quando cum ſpi- Ariſt. loc. cit.
ritu fuerit fit flamma, ferturque celeriter. non igitur terra, neque aqua cauſa erit motus: ſed ſpiritus, cum intro fluxerit. Præclarè etiam inferius exemplum ex corpore humano ſubijcit, in quo bilis igneſcens ex febri agitatione pulsũ,
membra tremore concutit. *Oportet*, inquit, *intelligere, ſi-* Ariſt. ibidem
cut in corpore noſtro, & tremorum, & pulſum cauſa eſt vis ſpiritus, qui intercipitur: ſic & in terra ſpiritum ſimilia facere: & hunc quidem terræmotuum velut tremorem eſſe, illum autem velut pulſum. Quemadmodum igitur corpori humano tremorem inducit febris, ex qua ſæpe interitus, & cinis: ita, quando terræ morbi non deſunt ſui, tremorem illi præſtant ſpiritus ignei, ex quibus vrbium funera, & cineres. Ita idem Ariſtoteles refert in vna earum inſularum, quas in conſpectu Calabriæ poſitas alij Aeolis à ventis, alij ab igne Vulcanis appellabant; *rupta terra exiuiſſe ſpiritum multum, & fauillam & cinerem eleuaſſe: & Liparæorum*

 Ciui-

Ciuitatem non longè exiſtentem incineraſſe. Idem nunc exitium Nicaſtris contigit, in qua vrbe, vti ſupranarrauimus, terræmotus ædes non tam abreptæ, quàm abſumptæ immixtos pulueri tumulos cinereos reliquerunt; buſta non paruæ vrbis, quæ paruum deſedit in cinerem. Profectò id inter terræmotum, & incendium intereſt, quod inter flammam latentem, & publicam. Concuſſus, excidia, cineres effecta ſunt ſpirituum igneorum, quos duritie ſoli coercitos, vt ad ſuperna tranſmittat, natura è terræ viſceribus excutit, non odio quàm amore nocentior. Iiſdem adſcribendus eſt ignibus color rubeus, quo prope Nicaſtra fluxiſſe Lametum fluuium diximus. Nam, quemadmodum pluit aliquando ſanguine, quod accidiſſe M. Aelio, & Caio Portio conſulibus refert Plinius: idque tantùm in ſpeciem, halitibus igneis magna copia in humorem intruſis, liquidum denſioris flammæ ruborem reddentibus: ita nunc diducta in hiatus terra, & ſpiritus flammeos efferente, cœpere ijs immixtæ fluuiales aquæ rubeſcere, admiſſo intra venas hoſte. Inuicta vtrinque violentia: cum neque ignis aquas, nequæ aquæ ignem edomarent: erubeſcente vtroque, veluti puderet non vincere. Alia quoque ab aquis miracula. Quidam prope Tarentum imminente iam terræmotu, cum fortè ad hauriendam putealem aquam acceſſiſſet, illa ad os putei ſponte aſſurrexit, obſtupeſcente homine, & quaſi ad excantatos latices proclamante. Enimuerò ſubiecta flumma, vt in ollis euenit, exiliebant aquæ in ſublime; quaſi aduerſantis elemẽti ſedem occupaturæ. Alter ſubidem tempus aquam hauſit ex inopinato turbidam, & malè olentem: ex qua bene ille odorari poterat terræmotum futurum. Nam hoc, inter cætera eiuſdem præſagia, recenſentur à Plinio; quod tenuiorum partem ſpirituum, e ſulphureis plerumque venis, per occultos terræ meatus præmittat, quaſi leuioris armaturæ equites hoſtium iter exploraturos. Hinc etiam ſabulum, vti ſupra diximus, in lamentino ſolo præferuidum. Hinc circa Vibonem ſulphureus poſt terræmotum fumus, quotidie ex nouo terræ hiatu conuolutus in globos, nouas ibi Tartaro pandente fores, non Cerbero, ſed terræmotu adlatrante: vt vel ex hoc appareat non alius tantę cladis author, quàm ignis,

Plin. lib. 2. c.46.

Plin. lib. 4. cap. 11.

Hinc etiam ab ea Vulcania inſula, quam Strongolum vocitant, fumus prope idem tempus inſolens, pluſquam Cymmerijs tenebris, obducto per diem Sole. Ingens etiam montis cacumine obmurmuratio: vt de ſpiritibus intus occlſis Latinus vates cecinerit.

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

Quapropter ſuſpicati non pauci vniuerſam hanc totius Calabrię calamitatem ab hoc vno monte profectam, poſtremum Veſuuij facinus æmulante. Niſi quod hic ſplendidius, & igne aſpectabili, quaſi tormentis bellicis hoſtis publicus: ille clandeſtinis inſidijs, per actos introrſum cuniculos, flamma deliteſcente deſęuijt, vaſtitate longè maiore populorum, atque vrbium. Hinc denique in eodem Veſuuio, vt dictum eſt, eo die collucentes flammę, paruum pręteriti incendij ſimulachrum, tanquam montis minę iterum connitentis, ſed exhauſtis iam viribus. Vt ex hoc perſpicuè intelligamus, etiam montes per condita terris itinera, ſpecuſque vaſtiſſimas ſua inire commercia, tanquam diuinę iuſtitię vindices in improborum ſcelera, iunctis facibus, exarſuros. Equidem facilè adducor vt credam, clades vrbiũ tam immanes, ſtragemque tantam mortalium non ſine peculiari diuini numinis nutu contingere: naturam vt adminiſtram ſe gerere, non vt dominam; regi, non regere; ſatellitium pręberc, non imperium. Quocirca, pręter proximas noui terręmotus cauſas iam adductas, ſuperiores alias, altioreſque oportet agnoſcere, quibus inferiores ducuntur. Hoc ſolo naturæ magiſterio, vel ipſi Ethnici didicerunt, qui terræmotu, vel exaudito, vel nunciato ferias indicebant in eius Dei cultum, qui terram è ſuis diſtractam ſedibus dimouiſſet: Quippe, cum turbam Deorum admitterent, id Dei alicuius vi factum eſſe pro comperto habebant, cuiuſnam, incerti. Quamobrem Gellius *veteres*, inquit, *Romani, vbi terram mouiſſe ſenſerant, nuntiatumue erat, ferias eius rei cauſa edicto imperabant: ſed Dei nomen cui ferias ſeruari oporteret, ſtatuere quieſcebant quoniam per quem Deorum, de ærumue terra tremeret, incertum eſſet.* Diuina id quoque teſtantur oracula, dum terræmotum ſoli Deo tribuunt, *qui commo-* Aeneid. 1.

uet terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur. Profectò quis credat à ſpiritu adeo exili, vt aciem oculorum effugiat, quemadmodùm præclarè perpendit Seneca, *iactari, vibrarique terram cum montibus, magnas cum mœnibus vrbes, cum totis maria litoribus*. Hoc ſanè illius vim indicat, qui vt canit Eccleſia, *mundum pugillo continet*; vt

Iſa. 40. Iſaias teſtatur, *appendit tribus digitis molem terræ*. Egregiè rem declarat id, quod S. Antoninus eueniſſe refert Tyroni cuidam ſui ordinis. Hic, cum toties in hymno Deiparæ verſiculum hunc cantitare audiuiſſet; *Mundum pugillo continens*, cœpit miræ ſimplicitatis adoleſcens tacita ſecum cogitatione verſare, quænam Deo palma eſſet tam gigantea, vt vola clauderet orbem terrarum. Inter eas curas fluctuantem animo ſomnus oppreſſit. Dormienti viſa multitudo Angelorum innumerabilis ante duas ſedes aſtantium, in quarum altera Chriſtus, in altera è regione Virgo parens conſederat. Aderant etiam Sancti omnes tanquam metu perfuſi, atque ad extremum mundi examen vocati. Perlecta mortalium crimina: perlectæ paucorum virtutes. cumque illa mole longè maiore lancem grauarent, videbatur iratus iudex orbem terrarum vniuerſum, tanquam pilam manu projicere, his vocibus adiectis, *eum iudicatur exeat condemnatus*. Tremebundus tyro, nec tam ſomno ſopitus, quàm ſemimortuus ad Deiparam conuerſus clamauit, *S. Maria ſuccurri miſeris*. Ea preces Virginem incitauere primò vt aſſurgeret, tum vt ingenua ſupplex procumberet ad filij iuſtiſſimam iram ſedandam. Vociferatio interea à ſemiſomni edita fratres acciuit. Qui, cùm accurrerent, terræmotu concuti ſenſere vrbem adeo ingenti, vt multarum ruina ædium ciues omnes ad præcipitem fugam extra vrbem impulerit. Ita iuueni perſuaſum, terram diuina manu cieri, diuina conſiſtere. Fruſtra quoque nos criminari elementa, atque in terræmotibus accuſare naturæ ſcelera: quando noſtro fit vitio, vt terram diuina vis quatiat, quò preſſam tot improbrum onere degrauet. Quod effractus non illabatur orbis, quidquid immotum ſeruatur, quidquid integrum, Virginis patrocinio deberi. Agnouit hoc antiquiorum Græcorum pietas, die feſto annis ſingulis inſtituto, illi memoriæ ſacro,

Marginal notes: *S. Anton. in 2. parte. Hiſt. tit. 23. cap. 5. §. 1.* — *Pſalm. 108.* — *Baron. tit. 9. Annal. ann. 740.*

ſacro, qua ſub Leone Iſaurico ab immaniſſimo terræmotu Bizantij ædibus, & murali corona disiectis, ciues multi Virginis ope ſeruati, Libet, ex Monologio Græco, de hoc pauca quædam tranſcribere. *Vigeſimo ſexto Octobris die, factus eſt Conſtantinopoli ingens, & terribilis terræmotus, & omnes domus, & Eccleſiæ conciderunt: multique ruinis oppreſſi ſunt mortui. Quare tam terribilis terræmotus memoriam recolentes, ſupplicamus ad magnum, & ſacrum immaculatiſſimæ Dei genitricis Mariæ templum, eam enixè precantes, & natum propter nos peccatores Ieſum Chriſtum, vt nos a ſua iuſta liberet ira, contra nos excitata.* Hæc è Monologio, in quo à Græcis populi cæteri admonentur, vt beneficia tam perſpicua annuæ memoriæ conſecrẽt, manſura perenniùs, ſi agnoſcantur. Alter in eadem vrbe terræmotus priorem æquauit clade, vicit prodigio. Nam cum aliquando ſeptem, & quinquaginta Conſtantinopoli diuulſis turribus, Theodoſius cum proclo Patriarcha, & cũ ciuibus domicilia, vt fit, traduxiſſet ad campos: ibique terræmotu vehementiùs graſſante, cuncti ad preces incumberent, raptus e turba in aërem repente puer, oculiſque ſubductus. Tum eadem via demiſſus, Imperatori, & Epiſcopo mirabundis narrauit candidè, audiuiſſe ſe Angelorum concentum in has efformatum voces, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſerere nobis*; addito monitu, vt ipſi eodem modo concinerent: quo præſtito terræmotus illico ſiluit. Hoc ſacrum triſagium, comprobante poſtea Concilio Chalcedonenſi, ab Eccleſia vniuerſa vſurpatum. Ex his liquidò conſtat terræmotum precibus conquieſcere, ſceleribus excitari. Calamitoſi certè ſumus: vtinam non criminoſi. Ferrei extra exemplum, ſi ad tot Dei monitus obdureſcimus. Enimuerò ſuperioribus annis terræmotus occœpere in Calabria, iactato Catacio, non ſine ædium iniuria; luxato Girifalco, non ſine voragine. Non multò poſt deflexere in Apuliam, vrbe S. Seueri, & oppidis dirutis non ignobilibus. Paucis poſt annis tranſmiſere Neapolim, comitati Veſuuij anum incendium, euerſis Herculano, & Pompeijs, vexata Neapoli, perturbata Campania, perterrefacta Italia, metu etiam vltra periculum. Poſtremò

Marcell. in Chronico Baron. an. 446.

Concilium Chalcedonenſe act. Damaſcen. 3. de fide c. 10.

ſtremò atrociores remigrauere in Calabriam, iam non pagum, aut vrbem, ſed integras prouincias depopulati, nondum exaturata clade Adhuc ibidem impunè bacchantur, quidquid primo furori integrum demoliturі. Inde corripuere Lucaniam; tranauere Tarentum: iamque in ora Salentina vrbem Neritum terræ ingenti motu iactatam, poſtremis nuncijs accepimus. Quota regni pars luctu vacat? Clades nobis creatur ex clade. Incendium terræmotu, terræmotus incendio ſeritur, exitiali quadam fœcunditate. Pleraq; regna mars vexat, noſtrum pax: & cum externis viribus non pateat, in exitium ſuum armatur. Infelices nimium, quibus ex incolumitate calamitas naſcitur. Externa ceſſant: domeſticis implicamur. Hoſtilia patimur ſine hoſte. Non hic ſomnos inimicæ militum excurſiones abrumpunt: non inſtructæ nos acies, non obſidiones vrbium, non bombardarum ſtrepitus, non buccinarum clangor exterret: ſed incendia, excidia, ruinæ. Tantum cladis pax attulit, quantum ne bello quidem timeri potuiſſet. Bellatur nobiſcum natura; & ne quid huic bello deſit, perſonat terræ fragor pro tuba. Quos hoſtium non tetigere tela, hauſit metus, hauſit dolor, hauſere elementa. Dedimus tragœdiam orbi terrarum, deflendam lachrymis ſeculorum: omni malo vexati, nullo perdomiti. Triginta circiter millia hoc terræmotu interempta. Tanta internicione mortalium diuinæ iræ litatum. Non plures iuſta acie, iniquo Marte, vnico bello, pluribus prælijs, cecidiſſent. Orbati parentibus filij, parentes filijs: viduati coniugibus coniuges: ſpoliati ſuperſtites conſanguineis, affinibus, amicis. Nulla penè familia ſine fletu: ac vere inito, exultante natura, pratis ridentibus, lachrymatum. Non hoc extinctorum, quem recenſui, numero eos complector, quos ex terræmotu vel ſaucios, vel bonis omnibus ſpoliatos aut vulnus, aut ærumna confecit: præteritis etiam ijs, quos diſtracta in campos domo, contractus morbus ſuſtulit. Minor tamen fuit hominum ſtrages, quàm pro vrbium, atque oppidorum ruina. In Veſuuiano incendio quinque millia capitum periere, duobus oppidis euerſis, pago vno, vel altero. Nunc deiecta Conſentia, quaſſatum Catacium, Prouinciarum metropoles, abſumpti

Nica-

Nicaſtrum, Calabriæ ornamentum, ac gemmula; deleta Murgantia, afflictum Miletum, Terina ſemiruta. Meſſana, Roſcianum, Beſidiæ, Tropiana, Medama non ſine querela. Rhegium, Locri, Tarentum, Maratea, Neritum periculo affinia. Neapolis, ſi minùs ruina, certè oppreſſa metu. Has decem, & ſeptem vrbes terræmotus inuaſit; multas ex parte, quaſdam funditus diruit: & mœnia, inter tot ſeculorum obſidiones intacta, vnico afflatu expugnauit. His adijce oppida, pagoſque, qui partim ingentem perniciem, partim integram ruinam perpeſſi ſupputantur ſeptuaginta, & eò ampliùs. Ex his facilè inferre licet, terræmotum hunc collocandum eſſe inter maximos. Etenim Plinius diligentiſſimus antiquitatis ſcrutator. *Maximus*, inquit, *terræ mortalium memoria extit motus, Tiberij Cæſaris principatu: duodecim vrbibus Aſia vna nocte proſtratis*. Nunc verò deiectæ, ac detritæ vrbes non minùs, quàm duodecim; ſi addas oppida vrbes æquantia. Pagi, villæ, turres ſiue rurales, ſiue litorales extra numerum. Equidem non inficior terræmotum, quo ſub Tiberij faſcibus, Chriſto morienti tellus indoluit, iure à Plinio omnis memoriæ maximum recenſeri, non clade, ſed mole. Quippe non vnius, aut alterius regni concluſus finibus totum concuſſit orbem terrarũ; vt totus ſui authoris interitum perſentiſceret: diſciſſis etiam montibus, quaſi comam capitis ad luctum dilacerante natura. Quocirca exaggeratè admodum ſcribit Oroſius, terræmotum ſub Valentiniano vbique locorum terra, marique graſſatum. Nam cordatè captus oculis, ſed ſapientiam planè lyncea Didymus, *terræmotus*, inquit, *ſæpe fiunt in terris. Verũ qui ante, vel poſt Chriſtũ extiterunt, partẽ quandã terræ occuparunt. Mei autem Chriſti tẽpore nõ priuatus fuit aliquis terræmotus, ſed tota ipſa terra quaſſata eſt, & e centro conuulſa*. Cæterùm Chriſti obitu reparante orbem terrarum, non deuaſtante, clades tanta fuit, quanta par foret myſterio: duodecim vrbibus Aſiæ, in qua maximè Ethnica ſuperſtitio vigebat, proſtratis; vt totidem Apoſtoli ad Eccleſiæ Chriſtianæ ſtructuram erigerentur. Inter eos verò terræmotus, qui intra naturæ leges, extra miraculum poſiti naturales cauſas agnoſcunt, hunc, de quo ſcribimus, vix ab

Plin. lib. 2. c. 84.

Oroſius lib. 7. c. 31.

Didym. in cat. PP. Iob. 9.

alio quopiam ſuperari crediderim, immanitate, amplitudine, diuturnitate. Immanitas perſpicuè oſtenditur teſtimonio Senecæ qui *terra*, inquit, *vix vnquā tam grauis, aut pernicioſus motus fuit, vt tota oppida euerteret*. Nunc euerſæ tres vrbes, plura oppida, pagi plurimi: duæ prouinciæ deuaſtatæ: trahente momento tēporis ſeculorū excidia. Nulla tam pernicioſa calamitas, ex quā nihil alteri calamitati ſuperſit. Terræmotus hic, quā ſæuijt, pœne nihil alteri dilacerandū reliquit. Nec verò quidpiā defuit, quod atrocitati ſeruiret. Mons diffractus Conſentiæ: maris deceſſio in Napitia: procella Panormi, terræ hiatus in Sciliano: aquæ ſuperfuſæ agro Lametino: fumei globi erumpentes e Vibone, flammæ exardeſcentes in Veſuuio: cineres effuſi Nicaſtris, amnis ſanguineus prope Nicaſtra. Non hic prætermittendum cenſeo, quod retulit, dum hæc ſcriberem, Sacerdos è Franciſcana familia ſpectatiſſimæ fidei nuper profectus è Calabria, propior tum periculo, quàm qui perierant: viſum, intremiſcete tellure, retrorſum labi Lametum fluuium, retractis aquis, retorto curſu, quaſi territus fugeret: tum elatis vndis, amne campis refuſo bullientes pluribus in locis vortices corrotaſſe, & fremitu, & æſtu planè marino. Nihil iam oſtentoſum supereſt, quod hic naturæ ira ſuppreſſerit. Nihil relictum famæ mendacijs. Nihil ipſæ fabulæ poetarum fingere, aut excogitare poſſunt atrocius. Amplitudinem proximi terræmotus metiri poſſumus locorum ſpatijs, quæ longè, latèque complexus obtinuit. Gemina Calabria occupata. Prouinciæ præterea tentatæ tres, ora Salentina, Lucania, Campania. A Rhegino litore, quod abeſt octo dierum itinere, Neapolim vſque perductus vrbem regiam inuaſit. Neque vnico regno contentus, ſuperatis freti faucibus, Meſſanam perſtrinxit. Demum, dum adhuc prouinciales hi terræmotus graſſarentur in Calabria, inter tot mariunt, terrarúmque tractus, infeſtatæ Senæ, vrbs Hetruriæ florentiſſima, adiectis ad reliquam Italiam veluti minacibus nuncijs. *Terra*, inquit Seneca, *non vnquam per ducenta milliaria motus extenditur*. Hic ab extrema Calabriæ ora vſque Neapolim pluſquam trecenta paſſuum millia tenuit. Ex quo perſpicuè conſtat non potuiſſe in locis tam diſſitis terram intremere

con-

Senec. Epiſt. 4.

Seneca lib. 6. nat. quæſtion. cap. 25.

contextu quodam, nexuque partium, & vt loquuntur Philoſophi, *per conſenſum*: ſed vbique concuſſam vi ſpirituum ſublatentium, iactatione quà maiore, quà minore, pro halituum copia, & ſubterraneis anguſtijs: eruptione pluribus in locis tentata, in pleriſque conatu inani, diſtractis viribus. Amplitudini par diuturnitas, nè clades magis locorum ſpatijs laxaretur, quàm temporis. Enimuerò duobus iam exactis menſibus, adhuc terræmotum per interualla ſæuire quotidianæ litteræ perferunt. Ineunte Iunio congeminatus primus ſimilis terræmotus: niſi quod huic parem diruendi materiam ruinæ ipſæ ſubtraxerant. Sub ortum Solis, primo radiorum appulſu excitati ſpiritus, euocatique ad ſuperna cœpere denuo terram impetere, ac veluti admotis machinis arietare. Præmiſſus hic maioris cladis prænuncius, vt opportunè ſibi fuga quiſq; conſuleret, impleto Dauidis oraculo, *dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus*. Hora imminebat quarta ſupra decimam, cum incaleſcente iam Sole, quaſi tunc quoque iræ caleſcerent, halitus maiore impetu ſoli duritiem adorti, terræmotum edidere in vniuerſa Calabria adeo ingentem, vt iterum omnia late loca Neapolim vſque peruaſerit: quanquam id ſparſim raptimque, deferueſcente per interualla ſæuitie. Catacium in primis, Conſentiamque peſſumdedit, odio in metropoles infeſtiore. Catacij, quod ſupererat Epiſcopalis templi, Conſentiæ, quod ſteterat regiæ arcis deiecit. Vtrobique ædes reliquæ concuſſæ labant, quantum coniectura aſſequi poſſumus, primo aggreſſu labefactandæ. Beſidiæ, & Patycos modice prius attacta detrimentum feruntur nunc paſſa non modicum. Sanctæ Seuerinæ mons in enormem hiatum abſceſſit. Petilia, & Caſabona plane deturbata, atque euerſa, Oppida his minora, vicique inoleſcente malo non numerantur in clade. Iam inſtaurato vbique metu, denuo deſerta tecta, remeatumque ad campos. Quippe veluti fatali quodam inſtinctu, tunc maxime ad terræ gremium confugimus, cum nos tellus exagitat: quaſi parentem agnoſcamus, dum punit. Sed profectò, vt cœpere res labi, plane ruunt. nempe id anſam dedit Vticenſi claſſi, vt Medamæ litora inuaderet, ijs in ſeruitutem abductis, quos tellus excuſſerat in oras

Pſal. 59.

barbaras

barbaras amandandos. Nunciatum etiam è citeriore Calabria in agro Nuceriano pluiſſe grandinibus tantæ molis, vt duarum librarum pondus explerent. quibus animantes non paucæ ſub Dio exanimatæ, quaſi lapidatum eſſet de cælo. Grandines quoque viſas ſubuirides, veluti ſpem facerent melioris fortunæ. Quanquam, ſi rationes expendimus, ſpes in metum euadit: neque alia ſpes affulget;niſi de qua poeta,

Æneid.4. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.*

Deſperanda vicina quies: mali ſperanda diuturnitas.Etenim Ariſtoteles ita pronunciat. *Cum fortis, factus fuerit terræmotus, non mox, neque, neque ad ſemel ceſſat agitans ſed primò quidem vſque ad quadraginta dies agitat: poſteriùs autem, & ad vnum, & ad duos annos dominatur, ſecundũ eadem loca.* Elapſi iam quadraginta dies annuum,aut biennalem terræmotum prænunciant. Quid non pertimiſcendum ab annis, quando fuit adeo exitialis diecula? Inſtaurata ſæpiſſime ſoli iactatio vires indicat hoſtium adhuc integras; grauemque eſſe terræ gremium halitibus, quos ipſa in ſuum gignit exitium. Abditum in humo malum, atque altè in viſceribus ipſis infixum, Quippe in Calabria, vt diximus, rupes præaltas admolita natura eſt: infra quas cauernæ,& voragines, halituum non tam aulæ, quàm carceres. Horum, dum à clauſtris reſiliunt, alios laxatis compagibus tellus egerit, alios fruſtra connixos retrudit. qui, dum retentant exitum, nouo ſolum obluctans concuſſũ cient. *Creberrimus*, teſte Plinio, *Punico bello terræmotus intra eundem annum, ſepties, atque quinquagies nunciatus Romam.* Nunc nunciatus intra diem quater, & vicies: intra menſem non minùs, quàm centies, obfirmata inde ſoli, hinc halituũ pertinacia, pugna toties ceſſante, toties reparata. Ex his perſuaſum, vt reor, quod ſuadendum propoſui, terræmotum hunc, quo de agimus, ſiue atrocitate cladis, ſiue amplitudine locorum, ſiue diuturnitate temporis reponendum eſſe inter maximos. Quod ſi inter maximos, numquid non inter magnos? Si inter magnos, vtique inter eos, de quibus dictum eſt, *Erunt terræmotus magni per loca, & peſtilentia, & fames.* Rogandum profectò diuinum Numen, ne terræmotum fames, & peſtilentia excipiant. Nam ferreum ad

Ariſt.2. Met. ſum.3 c.2. — *Plin.lib.2.c.83.* — *Luc.21.*

ad imbres cælum, & ſicci halitus adurunt exuccam egetem: motuque terra crebro in hiatus diducta, Mephitim teterrimam, ac ſpiritus graueolentes exhalat. Quippe qui ducunt eluuiem ex occulto. Quamobrem id animaduertens Seneca, *Solet*, inquit, *poſt magnos terrarum motus peſtilentia fieri. Nec id mirum eſt. Multæ enim mortifera in alto latent: & aer ipſe corruptus internorum ignium vitio, cum longo ſitu emiſſus, purum hunc, liquidumque maculat, ac polluit: inſuetuſque ducentibus ſpiritum affert noua morborum genera.* Hæc Seneca. Nos verò mittamus omina calamitatis futuræ, quam Numen iratum minatur, placatum auertet: & quod reliquum eſt, ruinæ totius, quàm præſens clades intulit, pretium expendamus. Hoc vt præſtetur exactiùs, neque ingratum, vt arbitror, neque abs re erit, Calabriæ totius, vnde damni æſtimatio petenda eſt, ſitum, magnitudinem, emolumenta breui narratione percurrere.

Seneca lib. 6. natur. q. c. 27.

Calabria, olim Meſſapia e Solino, Auſonia ex Catone, ſiue ab antiquioribus Calabris, qui vt Ptolemus teſtatur, in Salentino litore mare Ionium incolebant, ſiue a Calauria Argolici ſinus inſula, vt refert Ortelius, Demoſthenis interitu nobili; ſiue à ſoli vbertate, vt Leandro, & Barrio placet, Græcarum vocum καλὸς ρέω, coniunctione appellationem ſortita, gemino circumfuſa mari, Tyrrheno, & Ionio, ab oriente Salentinos, & Græciam ſpectat, ſtirpem antiqui nominis; ab occidente Neapolim: quà ad Aquilonem vergit, Lucaniæ nectitur: quà ad meridiem obuoluitur, perangusto diſciſſa freto, Siciliam veluti diſcedentem proſequitur, vltimo Italiæ fluctu, Demum quà mare procurrit longiùs, Africam proſpicit, extremo Europæ litore. Longitudo non à Talao, vt Barrius, ſed vt Ortelius, & alij à Lao fluuio, qui Calabriam à Lucania dirimit, vſque ad Leucopetram centum octoginta millibus paſſuum tenditur. Latitudo maxima ſeptuaginta; minima viginti milliaribus conſtat. Prior ab vrbe Terina ad Lacinium promontorium: poſterior ab antiqua Lametia, Scylletium vſque perducta: vbi vicino fretu Iſthmus adiungitur. Totus verò regionis ambitus ſeptingenta, triginta millia paſſuum continet; inter magnæ prouinciæ, regnique amplitudinem, ſed regno propior. Calabriæ

Solinus cato. Ptolemeus. Ortel. in Theſauro Geograph. Leand. in deſcript. Ital. regione. 7 Barr. de Antiquit. Calab. lib. 1.

Barr. ibidem. Ortel. & Leandr. locis citat. Leucopetra, nunc Capo di Sparte vento ex Leand. Terina, nunc Mantia ex Nigro apud

Ortelium. labriæ fines vlteriùs Maginus, & alij porrigunt: qui Taren-
Pametia, nũc tum inter Calabriæ vrbes recenſent. Siue quia confundunt
S. Euſemia cum Calabria magnam Græciam, quæ ex ea parte patet la-
Magin.in tiùs: ſiue quia, teſte Plinio, à priſcis Calabriæ nomen acce-
Georg. pit peninſula illa, quæ Tarento Brunduſium ducitur: Quod
Hul de ſcrip. & Pamel in poſtea nomen à Salentinis relictum ad oram conterminam
Tertull. de traductum eſt. Quanto in honore regio hæc apud reges fue-
pallio n. 55. rit, illud argumento eſt, quod futurus Regni hæres Dux Ca-
Clauer.intro. in Georg.lib.3 labriæ vocabatur: quaſi hoc nomine ſceptra præciperet, Cæ-
c. 29. ſar imperio deſtinatus. Præludebat ille regno adminiſtratio-
Plin. lib. 3. ne Calabriæ. Quippe vrbes complectitur ſex, & viginti;
cap. 11. quatuor Archiepiſcopali, cæteras epiſcopali inſula ornatas:
Oppida, pagiquè pœne numerum fugiunt: tanta vicinitate,
ac frequentia, vt continentem vaſtiſſimæ vrbis ſpeciem
præbeant, quæ rura, villaſque concludat. Porro Calabria
eſt omnis diuiſa in prouincias duas: quarum altera Brutios,
altera magnam Græciam continet. Illi ita dicti, ſiue à Bru-
tia fœmina, cuius opera primam arcem cœperunt, vt refert
Trogus. Annius. Trogus: ſiue à Bruto eximiæ virtutis viro, vt placet Annio:
ſiue à Bretio Herculis filio, à quo exædificata Brutiorum
Dionyſius caput Conſentia, vt in Dionyſio Afro legitur: ideo Bretij
Afer. ab alijs, & tota regio à Polybio Brettania dicitur; ſiue deniq;
Polybius. ad contumeliam, odio Lucanorũ, quibuſcum bella geſſerant,
Strabo. vt vult Strabo: tanta ſententiarum varietate ſuum cuique
permittente arbitratum. Magnam verò Græciam appella-
runt Coloniæ à Græcia deductæ; ad quam Calabria ex eo la-
tere obuertitur. Principes hic à Græcis exædificatæ vrbes.
Nam Scylletium ab Vlyſſe conditum refert Caſſiodorus, ſuæ
Caſſiod.in Ep. l.12. fortaſſe Ithacæ nidulum, ac rupes peroſo: ab Athenienſi-
Plin. lib. 3. bus affirmat Plinius, à quibus, & nomen acceperit. Rhe-
c. 10. gium extructum à Chalcidenſibus Solinus, & Strabo tradũt.
Quamuis verò antiquiorem eius originem Ioſephus referat
Ioſeph.lib.1. antiq.c.11. in Aſthenegum filium Gomer, Noe abnepotem: tamen Rhe-
gium à Grecis, hoc nomen obtinuiſſe idem teſtatur. *Cum*
Gomer, inquit, *haberet tres filios, Aſthenegus quidem Aſt-*
henegos inſtituit; qui nunc Rhegium vocatur à Græcis. Ex
quo coniectare licet Coloniam eò deriuatam Græcorum:
Rhegium autem dictum, vt Trogo placet, à Græco verbo

ῥήγνυμι

ῥήγνυμι, quod à Trinacria diſciſſum: poſtea Rhegium Iuliũ, quod poſt terræmotus ruinam à Iulio Cæſare inſtauratum. Sybarim à Sagari Aiacis filio, non multò poſt Troiæ excidium, excitatam narrat Solinus: tanta felicitate, vt mox ſibi vrbes quinque, & viginti bello Sybaritæ ſubiecerint. Tũ, præcoce fortuna irritante finitimos, à Crotonienſibus domiti, euerſique. Ex eius reliquijs conditum Thurium, hodie vulgò Terranona. Petilia à Philocteta Herculis comite extructa. Quamobrem Mantuanus vates,

Barrius de Antiq. Calab. lib. 6.

Parua Philoctetæ ſubnixa Petilia muro.

ſiue ſit vrbs illa, quam nunc Belcaſtrum appellant, vt contendit Leander, ſiue Policaſtrum, vt Barrius, ſiue Strongiolis, vt alij. Locri etiam Græcos conditores agnoſcunt, vel Euantem, vt Euſtachius; vel Aiacem, vt Solinus affirmat: religione fortaſſe quadam nouas vrbes emolientibus ijs ipſis, qui paulò ante Troiam euerterant. Triſchene, nunc Taberna, ipſo vocabulo præſert Græciam, à tribus tabernaculis dicta, quod olim eius vrbis Epiſcopus triplici in templo per vices ſacra perageret. Crotonem quoque à Græcis poſitam omnes tradunt. Incertum an ab ijs eò tempeſtate delatis, vt ex Antiocho narrat Strabo; Achiuis mulieribus, quibus iter cœperat eſſe faſtidio, ibi ſedem poſcentibus: an, vt Pythagoræ placet, à Thebano Hercule etiam Græco, & Græcis fabulis inclyto. Qui nomen Herculeo quoque promontorio fecit; quod à Sicilia diſtractum duo inter ſe commiſit maria. Græciam olet illa iactatio; quod Milo Crotoniates virium fuerit tam immanium, vt columnam, quæ ædificium nitebatur, dum rueret, manu inhibitam ſuſtentauerit: donec, qui ſuberant, omnes effugerent. Sampſon planè alter, niſi quod columnam ille dimouit, iſte detinuit. Sed Græcam vrbem perſpicuè commonſtrat Pythagoræ Samij domicilium, qui toto pœne terrarum orbe peregrinatus, tandem Crotone conſedit. vbi de mundi ortu, concentuque diſſeruit; atque in Italiam primus, Auguſtino teſte, Philoſophiam inuexit; cum nondum aut Platonicæ porticus, aut Peripatetica lycea celebrarentur in Græcia. Ad hunc audiendum, vt narrat Laertius, vndique Itali reliqui, Romani præcipuè confluebant: eiuſque præceptis imbutum Roma-

Leander loco citato.
Barr. lib. 2.
Euſtachius
Solinus.
Barr. lib. 4.
Strabo.
Pythagor. apud Bar. loco cit.
Leand. de reſcrip. Ital. reg. 7.
Auguſt. lib. 8 de Ciuitate c. 9.
Laert. in vita Pythag.

 norum

Hieronymus contra Iou.n. norum Regem ſapientiſſimum Numam tradit Hieronymus. Oſtentantur adhuc prope Crotonem à Pythagora erectæ in litore columnæ duæ, imitatione quadam Herculei monimẽti ad Gaditanum fretum; quaſi Pythagoricæ doctrinæ metæ, vltra quas nemo poſſet excurrere. Crotoni potiſſimùm adſcribendum, quod ad Græciæ Calabria magnæ quoque appellationem adiungerit. Hic Orpheus poëta, qui Argonau-
Barr. lib. 4.
Leand. loc. cit. ticam cecinit: hic Alcmæus, qui omnigenam de natura ſcripſit hiſtoriam: hic Arignotus Philoſophus, qui ſacri agnomen obtinuit: hic Philolaus Pythagoreus: hic denique, vt in Timæo teſtatur Plato, omnes bonarum artium diſciplinæ, veluti Athenis in alteris, floruere. Nec defuere Cala-
Plato in Timæo. briæ viri eximia ſanctitate clariſſimi, Inter quos antiquiſſimæ memoriæ Nilus Abbas, recentioris Franciſcus, minimorum maximus inſtitutor, nouus apud Italos Thaumaturgus: hoc diſcrimine, quod is montem precibus mobilem, hic tranſmiſſo pedibus freto, mare immobile præſtitit. Eruditè non minùs, quàm accuratè virorum illuſtrium, quos ea regio genuit, longum texit catalogum Gabriel Barrius in libro,
Barr. in calce libri. quem inſcripſit de antiquitate Calabriæ. Cæterùm gens plerumque ingenio feruido, callido, & ad omnem diſciplinam verſatili: apud exteros populariũ amantiſſimi, in patria æmuli, & rixoſi. Cæli apud eos iucunda, ſalubriſque temperies, vergens tamen ad calidam: niſi æſtiuo tempore ſtatis quotidie reflantes horis fauonij, euentilato aëre, Solis feruorem obtunderent. Nihil regione tota, ſiue ad delicias amœnius; ſiue ad vbertatem feracius, ſiue ad omnem humanæ vitæ vſum accommodatius. Amœnitatem aſpectu præferunt montes, quibus ex vtroque Calabria latere, ſubſtrato imminet mari, an ſpectanda, an ſpectatrix. Hi eius Apennini ſunt partes, qui protenſus ab Alpibus catenata ſerie, nexuque cacuminum Italiæ dorſum diſcriminat: atque in Calabriam ductus interdum in editiſſimas rupes, atque in altiſſima ſurgit faſtigia, plerumque verò lenibus iugis in colles molliter accliues demittitur: quos perenni viriditate cõueſtit, pleriſque arborum intacta coma hyeme ver exhibentibus. Inter Calabriæ montes eminet Sila, ſyluam ducentorum millium paſſuum ambitu attollens, intonſis ilicibus, pi-

niſque

niſque condenſam. Quæ ramis multa fronde comantibus, atque inter ſe cælo conſertis, vmbra terris diffuſa, viatores velut de induſtria protegit: ita vt Conſentia Catarium integrum diei vnius iter æſtate media confici poſſit, arboribus veluti haſtatis æſtum, ac ſolem arcentibus. Hyeme verò mons idem nemus Hercinium, aut Caledonium æmulatus, anni caneſcentem ſenectam ingēti niuium pondere ſuſtinet: mox brumali aſperitate in ſummis caloribus ad voluptatem trahenda. Hinc prævalidæ trabes ad conſtruendas nauium arbores, vt ijs mare ſtratum ſylueſcat. Hinc ad vſum nocturni luminis tedæ, flamma parabili, & cereas faculas imitante. Hinc denique immenſa vis picis ad conglutinanda ſiue ſolaria, ſiue nauigia: illa ne imbribus pateant, hæc ne fluctibus. Hanc vtpote odoratam, reſinoſam, rutilam, atque ad medicamēta vtiliſſimam commendant Dioſcorides, & Galenus. In cacumine lætiſſima pecori paſcua: quod abigendum à paſtu, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, cum vbique fontes ſubſiliant. Qui primò argenteis ducuntur per fibras arborum riuis, dein etiam in ingentes amnes exuberant. Hanc laudem tota ſibi regio vendicat; quam & fontanæ, & fluuiales aquæ rigant. Principes in Calabria citeriore fluuij Buſentum, & Crates. Ille, quem alij Baſentium, alij Caſuentum, alij Barentinum vocant, ab impoſitis Conſentiæ iugis excurrens, perſubiectas rupes ad meridiem obuerſas, ingenti ſtrepitu præcipites aquas euoluit. Tum in planitiem effuſus, & crebris ſubinde curuatus flexibus, non vno tramite circumiectis campis illabitur. Demum, magno amnis vtriuſque fremitu, Crates ad mare decurſurum intercipit: eoque quaſi catenatum perducit, & alueo ſpoliatum, & nomine: in ſupplicium fortaſſe, quod Alarici Gothorum Regis theſauros, cum eiuſdem cadauere contumulatos, adhuc & arena celat, & gurgite. Crates, quinto ab vrbe Conſentia lapide, refudante humo ſcatebram exilit: obſcuris inter Silæ vmbras natalibus, obſcuri etiam nominis, dum ſuas dumtaxat aquas vehit. Sed magnorum montium iugis delapſus, nouo ſemper latice ditior, paulatim è fonte ſuccreſcit in fluuium. Et iam iuſto alueo, gemina ripa coercitus, Conſentinum agrum recto amne per-

Barr. lib. 2.

Dioſcor. lib. 1. Galen. Antidot. lib. 8.

Ortel. in Theſauro Geogr.

Paulus Diac. lib. 13. hiſt. Sabell. Ennea. 7. lib. 9.

Digitized by Google

ne perſtringit, Conſentiam, ſub anguſtiſſimi pontis fornicibus, magno murmure prætervectus. Dein Buſento, alijſque inclytis amnibus, quaſi ex inaſperato in eiuſdem os influentibus, longo viarum ambitu, elatis cornibus, in magnam Græciam inuehitur: vnde fluctus à marinis haud longè abhorrentes in craterem Tarentini ſinus exonerat. Fama vtrique fluuio eximia, quod Crates flauum colorem, Buſentus capillo nigrum impertiat: illius apud fœminas, huius laude apud viros. Secundùm hos celebratur Exarus, quia ex Apennini fonte prorumpens, per ampliſſima terrarum ſpatia, ad Sybarim vſque decurrit: cum quo ſociatis aquis, vterque mari confunditur. His adiungitur Acheron: qui ad montis radices innaſcitur, prope antiquæ Pandoſiæ monimenta, olim ænigmate Delphici oraculi, & cæde Alexandri Epirotarum Regis, qui Calabriam innaſerat, nobilitatus. Hic Altiliam inter, & Murgantiam in abditiſſimas valles ingenti mole deuectus, magnam ſoli partem exorbet, ac nullo aquarum diuortio iter, quod cœpit, percurrens, in altera Calabriæ ora ad Ionium mare demittitur. Eius fluminis accolæ Acheruntini dicebantur, ex Plinio: nunc ijs ex terræ hiatu altero patefacto Acheronte. Nobiles in vlteriore Calabria fluuij Neætus, & Sybaris, ab eodem Plinio primi in ſecundo Europæ ſinu collocati, ille prope Crotonem, hic prope antiquam Sybarim, quæ ab amni mutuata eſt nomen: ille verò à Sybari fonte in Achaia, à quo Sybari Calabro deriuatum nomen tradit Strabo. Præſtant quoque copia, & altitudiue aquarum Alis, & Angitula. Alis prope Catacium e cacumine montis elapſus, ac longo tractu vltra patrios fines euectus, ſtipendiarias, aquas, non Ionio, aut Tyrrheno, conterminis Calabriæ maribus, ſed Adriatico deſtinat. Angitula fluit non longè ab antiqua Vibone, inter amœniſſimos campos, & prata ſemper vernantia. Amœnitas loci locum fecit poetarum mendacio, Proſerpinam eò e Trinacria delatam, vt coronas puella ſibi floreas texeret. Cum his adnumero Lametũ amnẽ, Lametia nunc ad ſuperioris Calabriæ magiſtratũ adſcita. Hic prope Nicaſtra, modò continẽti curſu rapidus fertur: modo ſaxis ſub lateſibus eliſus voluntatur in ſpumas quà torrens, quà fractus. Nomen ab hoc, & op-

Ouid Metam. 10. Leand. loc. citato.

Plin. lib. 3. c. 3

Plin. ibidem cap. 1.

Strabo lib. 8.

Barr. lib. 2.

pido

pido factũ,& litori:quem ſinum Lameticũ. Ariſtot. appellat. Præter hos, Crotalus fluuius, quẽ inter nauigabiles collocat Plinius. Alex Straboni celebris e cicadarum in vtraque ripa inæquali ſtridore, quod in altera feruore Solis reddantur vocaliores. Luconus Crotonenſium, & Locrenſium pugna memoratus Trogo. His adde Acrin, Tacinam, Metaurum, Sytim, Baſentum: quem fluuium falsò aliqui cum Buſento confundunt; vt animaduertit Leander. Hi, alijque obſcuriores æſtate vadari vix poſſunt. hyeme verò, cum è montibus eluuionem acceperint, ne ab equite quidem ſine diſcrimine. Nec rarò infeliciter lapſos amnis præterfluens abripit, hauritque. Cæterum magna ex ijs voluptas, cum partim in xiſtos, ac topiaria buxo, myrtoque conſita, corriuatis per tortuoſos anfractus riuulis, viſuntur clementiſſimè ſerpere: partim per crepidines montium; valliumque ſeceſſus obmurmurant: vmbroſis hinc, inde ilicibus, curuato faſtigio, in vitrea ſe ſe vnda ſpectantibus, quaſi conſilium formæ capturis, congeminato intra amœnem nemore. Nec ſuæ arenis deſunt aquæ. Quæ paſſim manant per litora gelidæ, & dulces; complectente ſalo fonticulos, non violante dulcedinem. Hæ cymbis litoralem oram radentibus placidum præbent iter. Tutum etiam præſtant turres identidem, non pluſquam ſex mille paſſuum interuallo, diſpoſitæ: ijs præſertim locis, quibus conditi introrſum ſinus pyratis commodant latebram. Quos, cum ſublato igne detexerint, bombardæ ictu propellunt, fulmine ſulgurationem ſequuto. Litora quoque ſub turribus non rarò portuoſa, acceſſu nanigiorum facili. Neque hæc aut ſcopulis infida latentibus, aut præruptis aſpera: ſed toto fermè Calabriæ ſinu tam benignè fluctus excipiunt, vt altero liceat vndam remo, altero arenã proſcindere. Offerunt ſe nauigantium oculis pagi, caſtella, vrbes montium dorſis impoſitæ; aſpectabili quadam naturæ pompa, ac veluti theatrali. Diſcriminantur hæc villis, prædijs, viridarijs: quæ omni pomorũ genere abũdant, eximij ſucci, & ſaporis Oſtentantur paſſim mala citria, medica, aurantia in auri ſpeciẽ pendula. Hortis Heſperidum hic exhibitis: niſi quod hi dracone carent, nõ mediocri regionis laude à ferarũ innocentia. Inter mala limonia regnum Rhegina obtinent.

Arioſt. 1. Pict. cap. 10. Plin. lib. 3 c. 10. Strabo apud Leand. loco cit. Trogus. lib. 6. Leand. loc. cit.

E quibus alia mole præſtant: alia ſemine in varias figuras flexili, pyra, pruna, aliaq; id generis poma ementiuntur: quaſi iocante, atque oculis illudente natura. Cortice etiam dulciſſimo veſtiuntur aurantia, pro integumento, pro dape. Vineta quoque cernuntur latè apricantia: viteſque modici hominis altitudine à terræ vbere non diuulſæ, luxuriantes vbertim pampinos fundunt innuptæ, nullo, vt in Campania, maritali populorum amplexu. Interdum etiam trabibus adminiculatæ ſubdiales pergulis inambulationes opacãt, molliùs inter vmbras excepto Sole. Vuas gignunt quà rubentes, quà ſubalbidas, acino prægrandi, ſuccoſo, percocto, duracino, odorato; an ad eſũ, an ad potũ ſuauiores ambiguũ. Pręcipua laus vinis, quæ ſubflaui coloris, atque auro perliquido ſimilis, ſiue cirella vocant à Cerillis, vico Straboni noto, ſiue clarella apud exteros quoque clariſſima. Hæc ita ferunt aquam, vt etiam mare integrum ferant: per quod tranſuecta, & robore accreſcunt, & pretio. Nec ſecunda nobilitas Blandæ vinis, quæ tum palato, tum oculis blandiuntur. Nec minor authoritas vernaticis S. Lucidi: quæ parciòs hauſta vires largiſſimè reparant. Ab his dignatio vinis Treuijs prope Agitulam. Honos etiam expreſſis pręlo Cõſentino, & Tempſano, quę laudantur à Plinio. Neque verò ſegeti terra humorem denegat, quem arboribus ſufficit. Nam & copioſè herbeſcit ad paſcua: & flauentibus hordei, frumentique ſpicis latiſſimà turgeſcit ad horrea: vt prope Crotonem Appulos in Calabria campos non deſideres. Olei, olearumque felicitas, vt Salentinis loco finitima, ita & vbertate affinis. Butiri, lactis, caſei tanta copia, quantam præſtant opimis gregibus herboſa collium pabula; nutriendis etiam equorum armentis aptiſſima. E quibus Beſiadarum nota inſignes cum Theſſalis & curſu certarent, & forma. Syluę quoque vtriuſque Calabrię dulceſcunt in ſaccara, nobiliſſima gulæ irritamenta, tricliniorum luxu, Regumque delicijs ex vna quęſitis arundine. Nec minor à ſale vtilitas, ſine quo inſulſa fercula, & ne ipſe quidem ſapor eſt ſapidus, Quippe dulcia ſolent eſſe faſtidio, niſi quid acris admiſceant. Pręter factitium in ſalinis, montes quoque Calebri prope Altomontem obrigeſcunt in ſalem, reclamante nequicquam

Strabo lib 6.

Blanda, nunc Beluedere.

apud

apud Gallos Hilario, *nullum terræ ſal reperiri*. Adnumerari poterat inter Pliniana mendacia, flumina ſalis oſtentari apud Caſpios, niſi, ſalis montes extarent hic apud Calabros. Sal his natura prodegit, ſapientiæ ſimulachrum. Vna Lothi coniugis poſt incendium, quinquaginta poſt ingentem terræmotum in Noricis ſtatuæ ſalis repertæ, documenta poſteris, vt poſt ſupplicia ſaperent. Litora vtriuſque oræ piſcoſa: & tymnorum præcipuè captu circa Napitiam, vt animaduertit Leander, inſignia. Quippe in æſtiuis caloribus gregatim eò ex Africa innantes, ferreis inter vndas concameratis retibus, Delphino & præunte, & prodente ſtringuntur. Vbi magnitudinis immanis belluę piſcatorijs haſtis confoſſæ, cruentatis purpurea tempeſtate fluctibus, prædam præbent ingentem, futuram Italiæ toti dapem ad ſalſamenta lectiſsimam. Terra lini, cannabis, goſſipijque ferax, vt Leander, & Maginus teſtantur. Vermiculi etiam pretioſi. Nam bombices euiſcerantur in ſericum, dum tenuiſſimo inuoluti orbiculo nobilem ipſi ſibi texunt interitum. Mox *alio*, vt Tertullianus loquitur, *nouo animata iam flamine*, ſurgunt tanquam parui Phœnices e ſuo funere rediuiui: in præmium, credo, quod inde ſplendor ſacris veſtibus, atque aris accreſcat. Hinc in templis, hinc in tectis pompa parietum: hinc aulæa, opere Belgico, ſericis filis, auroque ductuli attexta: vt magnificentiùs ex auro ſpirent, molliùs e ſerico ducantur imagines. Ex hac denique textrina, nullo nobilium, plebiſque diſcrimine, tota pœne Italia ſericata vnius beſtiolæ labore veſtitur. Idque tanto Calabriæ emolumento, vt vectigales anni huius cenſus locati ſint nũmis aureis quinque millibus ſupra trecentos. Vnde ſupputari poteſt magnitudo totius ſummæ præcipuæ, ex qua particula iſta quotannis regio fiſco decerpitur. Profectò non minùs auri ex animalculi viſcere, quàm è fodinis Indicis humana cupiditas eruit: dum, effoſſis altè cuniculis, in naturæ patrimonium irrumpit, anquiſitis opibus prope tartara. Quamquam ne auri quidem, argentique foſſilis copiam, quam in dia ſuſpicimus, deſideramus in Calabria. In agro Conſentino, Tempſano, & Altomontano argento, auroque intermicant terræ venæ, quaſi ſanguine ditiore turgeſcant. ſed

Henric. Bâtchus in deſcript. Regni.
Hir. in Matt. cap. 9.
Plin. lib. 31. c. 7.
Geneſ. 19.
Theatrum vitæ human. vol. 2. l. 9.
Leand loc. cit.

Leander. in deſcrip. Ital. Reg. 7. Magin Georg. Ptol. deſcript. 14.
Tertull. de Pallio.

tanto labore metallum è terreis glebis excerpitur, vt expenſæ prætiam exæquent; aurum oſtentante ſimul,& ſubducente natura. Exhibet tamen largiſſimè partim in agro Conſentino, & Altomontano, partim in Murgantino plumbũ, ferrum, chalybem: vnde ſclopos plumbeis glandulis, milites galeis, enſibus, clypeis, loricis inſtruit, atque integros obarmat exercitus: intremiſcente nunc ad ſupplicium ea potiſſimùm terra, quæ bella pœnè omnium gentium reparat. Neque Calabria Alpinis inuidet iugis cryſtalla: neque Indico mari coralia. Nam in agro Altomontano frigore conſtrictæ niues in cryſtallinos grumos concreſcunt, cæli gemmaſcente iniuria; & humore in conuiuarum ad potationem delicias, ac mulierum ſpeculares luxus conuerſo. Alitore verò Paryci, vſque ad Lametiæ ſinum, prope ſcopulos rubræ adnaſcuntur arbuſculæ: atque, inter caneſcentes vndas, purpurea maris nemora teneros iaciunt, flexileſque ramuſculos. qui ex vndis educti, primo auræ molliſſimæ afflatu, pretioſè obdureſcunt. Maior alabaſtri æſtimatio, quod prope Altomontem, & Ruſcianum effoditur. vbi etiam lapis marcheſites: vt Erythræi litoris iactet quoque gemmas Calabria. Denique illud planè miraculo, quod cui regioni tellus planè cuncta ſuppeditat, manna quoque cælum effundit, eiuſdem formæ, ac naturæ cum antiquo Angelicis manibus elaborato, vt Conimbricenſes contendunt. Nam, & iuxta Altomontem in citeriore Calabria, & in vlteriore ad antiquę Turrianæ veſtigia ros è cælo deciduus ſylueſtribus prunis exceptus quà ſolijs, quà trunco, noctis frigore conſtipatur in grana. Quæ poſtea in prædulcem eliquata humorem, medicamenta ſuauiſſima præſtant, ſorbenda vel pueris: tanta ſalubritate, vt in ea cæleſte munus agnoſcas: tanto pretio, vt interdum Neapoli mannæ Calabrię vncia ſeptem nũmis aureis venierit, quaſi è cælo imber aureus cecidiſſet. Hanc opulentiſſimam regionem, terræ, cælique donis inſignem, quæ nihil aduentitium mutuabatur à cæteris, multa tranſmittebat ad exteros, recẽns calamitas ita vaſtauit, vt amœnitas in horrorem, frequentia in ſolitudinem rerum omnium copia in egeſtatem euaſerit. Nouæ molem iacturæ priſtina metitur felicitas. Vnicus obliguriuit hiatus

Henr. Bacchus in deſcr. Regni.

Magin. lo. cit.

à litore

Barr. lib. 2.

Conimb. in Met. tr. 7. c. 11.

quid-

quidquid tot ætatũ impẽdijs, ars. & fortuna cõgeſſerant. Tãta oppidorũ, vrbiumq. celebritas, tãta ſoli munificẽtia, tãta collium camporumq. feracitas; tanta fontium, amniumque per innoxios vbique ſaltus vbertas; tanta rerum, quę ad humanam vitam conducunt, vel pręſtantia, vel copia; tanta denique naturę in ea regione veluti exultãtis felicitas vno terrę nutantis motu, ac pœnè nutu deiecta. Loca paſſim inania, ac deſerta; quę paulò ante ciues, ac tecta compleuerãt. Itinera ſępe arenarum obſeſſa montibus, intra fines Italię traducta Lybia. Agris cultores deſunt, agri cultoribus; ędes incolis, ædibus incolę. Superſtitum magna pars aut è ruina ſanguine cruentati, aut metu exangues. Tota ferè Calabria adhuc cubatur in campis. Malum indigenę, quod aliquando experiuntur, ſemper expectant. Timor, qui aſſuetudine plerumque exoleſcit, nunc integratur in dies. Quidquid cladis finis putabatur, gradus eſt. Malum ſemper recens pręteriti memoriam inſtaurat, ac noua pernicie nondum obductum vulnus exulcerat. Quantum ex hoc terręmotu toti Calabrię damnum obtigerit, ducere coniecturam licet ex incendio Veſuuiano: in quo bis centies centum millium aureorum iactura ęſtimata. Vnius montis flamma tanto pretio ſtetit. Paucorum oppidorum, cum finitimis prędijs, ruina pręcipites traxit tot opes. Non ſanè cum his conferenda tot montium, tot litorum, tot pagorum, tot oppidorum, tot vrbium, Prouinciarum, denique vaſtitas. Neque reparandi ſpes promptæ. Deſtinatus eò ad dignoſcendum *Prouinciarum* ſtatum à Medinę Duce, *Regni Protege* Conſiliarius Hector Latrus, vir cordatus iuxtà, ac pius. Huic partim è fiſci, partim è Montis miſericordiæ ęrario, octo circiter numorum aureorum millia ad reficienda damna, ac recreandos inopes attributa. Salubri quidem conſilio, & Chriſtiana pietate digno. Sed maius eſt, quàm pro ſubita medicina malum. Feſtinatum eſt in damna, quę non niſi lenta patiuntur remedia. Quod citiſſimè hora deleuit, vix longi ſeculorum conatus poſteritati reſtituent. Profectò tanta ſupplicij moles non ſine diuina dextera. Conſpirat in hoc ſupputatio temporum. Quippe vndecimo ab hinc anno, ijſdem Quadrageſimalis ieiunij diebus, eodem vertente pal-

marum

Digitized by Google

non auſi : quod cum Moſchis Poloni conditionibus honeſtiſſimis, quæ maximè ad religionem conducerent, pacem, fœduſque ſanxerint: quod armis vndequaque ſtrepentibus, tanta inter diſcordes concordia . Ferdinandus alter paternæ, & fortunæ, & pietatis hæres ad imperium adſcitus : quod Romæ Adriani moles nouo ſit, eoque firmiſsimo propugnaculo communita: quod armamentarium ad apparandos exercitus magnificentiſsimè in Vaticano excitatum: quod in Centum Cellis portus extructus, iuſtæ claſſi fidiſsima ſtatio, atque omnium gentium commeatui peruia; quò acceſſum vel prohibent, vel admittunt aquæ, nouo prodigio, catenatæ: quod in Bononiæ finibus arx Vrbania erecta, aduerſus Barbaros munimentum vrbis eò tutius, quo remotius: quod inter tumultus bellicos pacis curæ non prætermiſſæ: quod religioſi viri ſanctiſsimis legibus inſtructi : quod Epiſcopi in ſuis ſedibus fructuosè detenti : quod Cardinales ad Eminentiſſimi agnomen euecti: tantum denique clementiæ, tantum comitatis, & modeſtiæ ſpecimen in tanta perennitate imperij, non parua erunt Vrbano magnarum laudum compendia. Cæterùm imponet ſupremum felicitati culmen quies publica : quam Vrbani votis, curiſque deſpondent Dei benignitas pietas Regum, populorum ærumnæ, piorum preces, ipſæmet denique temporum inclinationes, ac vices. Apum profectò erit regnantium, inter aculeata bellis tempora, ore melleam pacem moliri. Hæc occaſione noui in vniuerſa Calabria terræmotus, longiùs quàm poſcebat epiſtola; breuiùs pro clade.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX
RERVM MEMORABILIVM, DE VESVVIANO INCENDIO.

A

AEtites lapis, Aquilæ nido inædificatus, nihil igne deperdit. p. 69. Empedoclem hiatu cõdidit. 46.

Aetna mons torrẽtes igneos emittit. p 26. Inferorum oſtium à multis exiſtimatur. 39. claudendũ extremo Mũdi die. Ibi.

Aetnei incendÿ, quo mare ferbuit, mẽtio apud Auguſt 26.

Aetnei incendij cauſa. 63.

Agatha velo Catanenſes Aetnæ igneos torrentes arcent. 29.

Alexandri ortus ſub Dianæ Epheſinæ incendium. 69.

Altitudo nubis cinereæ primo die inhalatæ. 56.

Angeli tutelaris mira erga cliẽtem prouidentia. 22.

Aatonius Patauinus vir Sanctiſſimus dux cuidam ad viſenda loca pœnarum. 42.

Aphrica cur terræmotibus parum ſubiaceat. 78.

Aquarum inundatio vnà cum igne. 29 & deinceps.

Aqua Thaleti rerum principiũ. 67 Sponſis præferebatur. Ibidem.

Aqua & igni cur exulibus interdictum. Ibid.

Aquarũ inundationes poſt terræmotus. 67. 81. 82.

Aquæ puteales terræmotus prænunciant. 82.

Aqua ignis accenditur. 26. 27. 63.

Arborum ex incendio miracula. 55.

Arenæ pluuia. 12. 27. 62.

Arena Veſuuiana fertilitatem affert. 68.

Argentum pluuium inter cineres. 14. 65. Aurum Ibid.

Aſphalites lacus bitumen emittens. 63.

Aſtrologi cauſas incendÿ ad ſiderũ congreſſus referunt. 83.

Aſtrologi cauſas terræmotus ad ſyderum congreſſus reuocãt. pag. 72.

Aſtrologorum omina deÿs, quæ euentura ſunt poſt incendiũ. pag. 69.

Aſtrorum aſpectus ſub incendium Veſuuianum. Ibid.

Aſtrum, quo bella afflantur, amor dominandi. 69.

Aurum cur Natura in fodinis abſconderit. 73.

Bero-

Digitized by Google

ne perſtringit, Conſentiam, ſub anguſtiſſimi pontis fornicibus, magno murmure prætereuectus. Dein Buſento, alijſque inclytis amnibus, quaſi ex inaſperato in eiuſdem os influentibus, longo viarum ambitu, elatis cornibus, in magnam Græciam inuehitur: vnde fluctus à marinis haud longè ab-
Ouid Metam. 10. Leand. loc. citato. horrentes in craterem Tarentini ſinus exonerat. Fama vtrique fluuio eximia, quod Crates flauum colorem, Buſentus capillo nigrum impertiat: illius apud fœminas, huius laude apud viros. Secundùm hos celebratur Exarus, quia ex Apennini fonte prorumpens, per ampliſſima terrarum ſpatia, ad Sybarim vſque decurrit: cum quo ſociatis aquis, vterque mari confunditur. His adiungitur Acheron: qui ad montis radices innaſcitur, prope antiquæ Pandoſiæ monimenta, olim ænigmate Delphici oraculi, & cæde Alexandri Epirotarum Regis, qui Calabriam innaſerat, nobilitatus. Hic Altiliam inter, & Murgantiam in abditiſſimas valles ingenti mole deuectus, magnam ſoli partem exorbet, ac nullo aquarum diuortio iter, quod cœpit, percurrens, in altera Calabriæ ora ad Ionium mare demittitur. Eius fluminis accolæ Acheruntini dicebantur, ex Plinio: nunc ijs ex terræ hiatu
Plin. lib. 3. c. 3 altero patefacto Acheronte. Nobiles in vlteriore Calabriæ fluuij Neætus, & Sybaris, ab eodem Plinio primi in ſecun-
Plin. ibidem cap. 1. do Europæ ſinu collocati, ille prope Crotonem, hic prope antiquam Sybarim, quæ ab amni mutuata eſt nomen: ille verò à Sybari fonte in Achaia, à quo Sybari Calabro deriuatum nomen tradit Strabo. Præſtant quoque copia, & al-
Strabo lib. 8. titudine aquarum Alis, & Angitula. Alis prope Catacium e cacumine montis elapſus, ac longo tractu vltra patrios fines euectus, ſtipendiarias, aquas, non Ionio, aut Tyrrheno, conterminis Calabriæ maribus, ſed Adriatico deſtinat. Angitula fluit non longè ab antiqua Vibone, inter amœniſ-
Barr. lib. 2. ſimos campos, & prata ſemper vernantia. Amœnitas loci locum fecit poetarum mendacio, Proſerpinam eò e Trinacria delatam, vt coronas puella ſibi floreas texeret. Cum his adnumero Lametũ amnẽ, Lametia nunc ad ſuperioris Calabriæ magiſtratũ adſcita. Hic prope Nicaſtra, modò continẽti curſu rapidus fertur: modo ſaxis ſub latẽſibus eliſus voluntatur in ſpumas quà torrens, quà fractus. Nomen ab hoc, & op-

pido

Digitized by Google

pido factū,& litori:quem ſinum Lameticū. Ariſtot. appellat. Præter hos, Crotalus fluuius, quē inter nauigabiles collocat Plinius. Alex Straboni celebris e cicadarum in vtraque ripa inæquali ſtridore, quod in altera feruore Solis reddantur vocaliores. Luconus Crotonenſium, & Locrenſium pugna memoratus Trogo. His adde Acrin, Tacinam, Metaurum, Syrim, Baſentum: quem fluuium falsò aliqui cum Buſento confundunt, vt animaduertit Leander. Hi, alijque obſcuriores æſtate vadari vix poſſunt. hyeme verò, cum è montibus eluionem acceperint, ne ab equite quidem ſine diſcrimine. Nec rarò infeliciter lapſos amnis præterfluens abripit, hauritque. Cæterum magna ex ijs voluptas, cum partim in xiſtos, ac topiaria buxo, myrtoque conſita, corriuatis per tortuoſos anfractus riuulis, viſuntur clementiſſimè ſerpere: partim per crepidines montium; valliumque ſeceſſus obmurmurant: vmbroſis hinc, inde ilicibus, curuato faſtigio, in vitrea ſe ſe vnda ſpectantibus, quaſi conſilium formæ capturis, congeminato intra amnem nemore. Nec ſuæ arenis deſunt aquæ. Quæ paſſim manant per litora gelidæ, & dulces; complectente ſalo fonticulos, non violante dulcedinem. Hæ cymbis litoralem oram radentibus placidum præbent iter. Tutum etiam præſtant turres identidem, non pluſquam ſex mille paſſuum interuallo, diſpoſitæ: ijs præſertim locis, quibus conditi introrſum ſinus pyratis commodant latebram. Quos, cum ſublato igne detexerint, bombardæ ictu propellunt, fulmine ſulgurationem ſequuto. Litora quoque ſub turribus non rarò portuoſa; acceſſu nauigiorum facili. Neque hæc aut ſcopulis infida latentibus, aut præruptis aſpera: ſed toto fermè Calabriæ ſinu tam benignè fluctus excipiunt, vt altero liceat vndam remo, altero arenā proſcindere. Offerunt ſe nauigantium oculis pagi, caſtella, vrbes montium dorſis impoſitæ; aſpectabili quadam naturæ pompa, ac veluti theatrali. Diſcriminantur hæc villis, prædijs, viridarijs: quæ omni pomorū genere abūdant, eximij ſucci, & ſaporis Oſtentantur paſſim mala citria, medica, aurantia in auri ſpeciē pendula. Hortis Heſperidum hic exhibitis: niſi quod hi dracone carent, nō mediocri regionis laude à ferarū innocentia. Inter mala limonia regnum Rhegina obtinent.

Ariſt. 2. Pit. cap. 10. Plin. lib. 3 c. 10. Strabo apud Leand. loco cit. Troguſ. lib. 6, Leand. loc. cit.

Digitized by Google

E quibus alia mole præſtant: alia ſemine in varias figuras flexili, pyra, pruna, aliaq; id generis poma ementiuntur: quaſi iocante, atque oculis illudente natura. Cortice etiam dulciſſimo veſtiuntur aurantia, pro integumento, pro dape. Vineta quoque cernuntur latè apricantia: viteſque medici hominis altitudine à terræ vbere non diuulſæ, luxuriantes vbertim pampinos fundunt innuptæ, nullo, vt in Campania, maritali populorum amplexu. Interdum etiam trabibus adminiculatæ ſubdiales pergulis inambulationes opacãt, molliùs inter vmbras excepto Sole. Vuas gignunt quà rubentes, quà ſubalbidas, acino prægrandi, ſucco ſo, percocto, duracino, odorato; an ad esũ, an ad potũ ſuauiores ambiguũ. Pręcipua laus vinis, quæ ſubflaui coloris, atque auro perliquido ſimilis, ſiue cirella vocant à Cerillis, vico Straboni noto, ſiue clarella apud exteros quoque clariſſima. Hæc ita ferunt aquam, vt etiam mare integrum ferant: per quod tranſuecta, & robore accreſcunt, & pretio. Nec ſecunda nobilitas Blandæ vinis, quæ tum palato, tum oculis blandiuntur. Nec minor authoritas vernaticis S. Lucidi: quæ parciùs hauſta vires largiſſimè reparant. Ab his dignatio vinis Treuijs prope Agitulam. Honos etiam expreſſis pręlo Cõſentino, & Tempſano, quę laudantur à Plinio. Neque verò ſegeti terra humorem denegat, quem arboribus ſufficit. Nam & copioſè herbeſcit ad paſcua: & flauentibus hordei, frumentique ſpicis latiſſimà turgeſcit ad horrea: vt prope Crotonem Appulos in Calabria campos non deſideres. Olei, olearumque felicitas, vt Salentinis loco finitima, ita & vbertate affinis. Butiri, lactis, caſei tanta copia, quantam pręſtant opimis gregibus herboſa collium pabula; nutriendis etiam equorum armentis aptiſſima. E quibus Beſiadarum nota inſignes cum Theſſalis & curſu certarent, & forma. Syluę quoque vtriuſque Calabrię dulceſcunt in ſaccara, nobiliſſima gulæ irritamenta: tricliniorum luxu, Regumque delicijs ex vna quęſitis arundine. Nec minor à ſale vtilitas, ſine quo inſulſa fercula, & ne ipſe quidem ſapor eſt ſapidus. Quippe dulcia ſolent eſſe faſtidio, niſi quid acris admiſceant. Pręter factitium in ſalinis, montes quoque Calebri prope Altomontem obrigeſcunt in ſalem, reclamante nequicquam apud

Strabo lib 6.

Blanda, nunc Beluedere.

apud Gallos Hilario, *nullum terræ ſal reperiri*. Adnumerari poterat inter Pliniana mendacia, flumina ſalis oſtentari apud Caſpios, niſi, ſalis montes extarent hic apud Calabros. Sal his natura prodegit, ſapientiæ ſimulachrum. Vna Lothi coniugis poſt incendium, quinquaginta poſt ingentem terræmotum in Noricis ſtatuæ ſalis repertæ, documenta poſteris, vt poſt ſupplicia ſaperent. Litora vtriuſque oræ piſcoſa: & tymnorum præcipuè captu circa Napitiam, vt animaduertit Leander, inſignia. Quippe in æſtiuis caloribus gregatim eò ex Africa innantes, ferreis inter vndas concameratis retibus, Delphino & præunte, & prodente ſtringuntur. Vbi magnitudinis immanis belluę piſcatorijs haſtis confoſſæ, cruentatis purpurea tempeſtate fluctibus, prædam præbent ingentem, futuram Italiæ toti dapem ad ſalſamenta lectiſsimam. Terra lini, cannabis, goſſipijque ferax, vt Leander, & Maginus teſtantur. Vermiculi etiam pretioſi. Nam bombices euiſcerantur in ſericum, dum tenuiſſimo inuoluti orbiculo nobilem ipſi ſibi texunt interitum. Mox *aluo*, vt Tertullianus loquitur, *nouo animata iam ſtamine*, ſurgunt tanquam parui Phœnices e ſuo funere rediuiui: in præmium, credo, quod inde ſplendor ſacris veſtibus, atque aris accreſcat. Hinc in templis, hinc in tectis pompa parietum: hinc aulæa, opere Belgico, ſericis filis, auroque ductuli attexta: vt magnificentiùs ex auro ſpirent, molliùs e ſerico ducantur imagines. Ex hac denique textrina, nullo nobilium, plebiſque diſcrimine, tota pœne Italia ſericata vnius beſtiolæ labore veſtitur. Idque tanto Calabriæ emolumento, vt vectigales anni huius cenſus locati ſint nũmis aureis quinque millibus ſupra trecentos. Vnde ſupputari poteſt magnitudo totius ſummæ præcipuæ, ex qua particula iſta quotannis regio fiſco decerpitur. Profectò non minùs auri ex animalculi viſcere, quàm è fodinis Indicis humana cupiditas eruit: dum, effoſſis altè cuniculis, in naturæ patrimonium irrumpit, anquiſitis opibus prope tartara. Quamquam ne auri quidem, argentique foſſilis copiam, quam in India ſuſpicimus, deſideramus in Calabria. In agro Conſentino, Tempſano, & Altomontano argento, auroque intermicant terræ venæ, quaſi ſanguine ditiore turgeſcant. ſed tan-

Henric. Bacchus in deſcript. Regni.
Hir. in Matt. can. 9.
Plin. lib. 31. c. 7.
Geneſ. 19.
Theatrum vitæ human. vol. 2. l. 9.
Leand. loc. cit.

Leander. in deſcrip. Ital. Reg. 7. Magin. Georg. Ptol. deſcript. 14.
Tertull. de Pallio.

tanto labore metallum è terreis glebis excerpitur, vt expenſæ prætium exæquent; aurum oſtentante ſimul, & ſubducente natura. Exhibet tamen largiſſimè partim in agro Conſentino, & Altomontano, partim in Murgantino plumbũ, ferrum, chalybem: vnde ſclopos plumbeis glandulis, milites galeis, enſibus, clypeis, loricis inſtruit, atque integros obarmat exercitus: intremiſcente nunc ad ſupplicium ea potiſſimùm terra, quæ bella pœnè omnium gentium reparat.

Henr. Bacchus in deſcr. Regni.

Neque Calabria Alpinis inuidet iugis cryſtalla: neque Indico mari coralia. Nam in agro Altomontano frigore conſtrictæ niues in cryſtallinos grumos concreſcunt, cæli gemmaſcente iniuria; & humore in conuiuarum ad potationem delicias, ac mulierum ſpeculares luxus conuerſo. Alitore verò Paryci, vſque ad Lametiæ ſinum, prope ſcopulos rubræ adnaſcuntur arbuſculæ: atque, inter caneſcentes vndas, purpurea maris nemora teneros iaciunt, flexileſque ramuſculos. qui ex vndis educti, primo aurę molliſſimæ afflatu, pretioſè obdureſcunt. Maior alabaſtri æſtimatio, quod prope Altomontem, & Ruſcianum effoditur. vbi etiam lapis marcheſites: vt Erythrei litoris iactet quoque gemmas Calabria. Denique illud planè miraculo, quod cui regioni tellus planè cuncta ſuppeditat, manna quoque cælum effundit, eiuſdem formæ, ac naturæ cum antiquo Angelicis manibus elaborato, vt Conimbricenſes contendunt. Nam, & iuxta Altomontem in citeriore Calabria, & in vlteriore ad antiquę Turrianæ veſtigia ros è cælo deciduus ſylueſtribus prunis exceptus quà folijs, quà trunco, noctis frigore conſtipatur in grana. Quæ poſtea in prædulcem eliquata humorem, medicamenta ſuauiſſima præſtant, ſorbenda vel pueris: tanta ſalubritate, vt in ea cæleſte munus agnoſcas: tanto pretio, vt interdum Neapoli mannæ Calabrię vnciam ſeptem nũmis aureis venierit, quaſi è cælo imber aureus cecidiſſet. Hanc opulentiſſimam regionem, terræ, cælique donis inſignem, quæ nihil aduentitium mutuabatur à cæteris, multa tranſmittebat ad exteros, recèns calamitas ita vaſtauit, vt amœnitas in horrorem, frequentia in ſolitudinem rerum omnium copia in egeſtatem euaſerit. Nouæ molem iacturæ priſtina metitur felicitas. Vnicus obliguriuit hiatus

Magin. lo. cit.

à litore

Barr. lib. 2.

Conimb. in Met. tr. 7. c. 11.

quid-

quidquid tot ætatū impedijs, ars, & fortuna cōgeſſerant. Tāta oppidorū, vrbiumq. celebritas, tāta ſoli munificētia, tāta collium camporumq. feracitas; tanta fontium, amniumque per innoxios vbique ſaltus vbertas; tanta rerum, quę ad humanam vitam conducunt, vel pręſtantia, vel copia; tanta denique naturę in ea regione veluti exultātis felicitas vno terrę nutantis motu, ac pœnè nutu deiecta. Loca paſſim inania, ac deſerta; quę paulò ante ciues, ac tecta compleuerāt. Itinera ſępe arenarum obſeſſa montibus, intra fines Italię traducta Lybia. Agris cultores deſunt, agri cultoribus; ędes incolis, ædibus incolę. Superſtitum magna pars aut è ruina ſanguine cruentati, aut metu exangues. Tota ferè Calabria adhuc cubatur in campis. Malum indigenę, quod aliquando experiuntur, ſemper expectant. Timor, qui aſſuetudine plerumque exoleſcit, nunc integratur in dies. Quidquid cladis finis putabatur, gradus eſt. Malum ſemper recens pręteriti memoriam inſtaurat, ac noua pernicie nondum obductum vulnus exulcerat. Quantum ex hoc terręmotu toti Calabrię damnum obtigerit, ducere coniecturam licet ex incendio Veſuuiano: in quo bis centies centum millium aureorum iactura ęſtimata. Vnius montis flamma tanto pretio ſtetit. Paucorum oppidorum, cum finitimis prędijs, ruina pręcipites traxit tot opes. Non ſanè cum his conferenda tot montium, tot litorum, tot pagorum, tot oppidorum, tot vrbium, Prouinciarum, denique vaſtitas. Neque reparandi ſpes promptæ. Deſtinatus eò ad dignoſcendum Prouinciarum ſtatum à Medinę Duce, Regni Protege Conſiliarius Hector Latrus, vir cordatus iuxtà, ac pius. Huic partim è fiſci, partim è Montis miſericordiæ ærario, octo circiter numorum aureorum millia ad reficienda damna, ac recreandos inopes attributa. Salubri quidem conſilio, & Chriſtiana pietate digno. Sed maius eſt, quàm pro ſubita medicina malum. Feſtinatum eſt in damna, quę non niſi lentà patiuntur remedia. Quod citiſſimè hora deleuit, vix longi ſeculorum conatus poſteritati reſtituent. Profectò tanta ſupplicij moles non ſine diuina dextera. Conſpirat in hoc ſupputatio temporum. Quippe vndecimo ab hinc anno, ijſdem Quadrageſimalis ieiunij diebus, eodem vertente pal-

marum

marum ſabbato, iiſdem pomeridianis horis, ingens in eadem Calabria terrę motus. Tantus temporis articulorum conſenſus referri non poteſt ad ſydera: quando id palmari argumento commonſtrat palmarum recurrens dies, non a natura inſtitutus, ſed ab hominum arbitratu, qui ſubeſſe nequit aſtris: nempe ſui iuris, ac ſuo cętera moderatus imperio. Diuino igitur factum conſilio, vt adeo adamuſſim ſibi temporum momenta reſponderint, congeminata calamitate palmarum ſabbato. An, vt tot defunctorum millibus inter Chriſti Domini parentalia, ſanctiùs parentaretur? An, vt in ipſo dominicę paſſionis exordio, Chriſtiana tolerantia probaretur? An, vt quo tempore miſericordia inter oleas triumphauit, diuina quoque iuſtitia triumpharet? palmis, vt Hugo animaduertit, ſeueritatis indicibus, nempe aculeato faſtigio, ac deſinente in mucronem. Quidquid fuerit; profectò immiſſas à Deo ad ſupplicium ęrumnas, non ſola ſibi Calabria vendicat. Bellis terræmotus obſtrepituros Chriſti vaticinium pronunciauit. *Surget*, inquit, *gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum: & erunt terræ motus magni per loca*. Quid elementa querimur in noſtrum exitiũ armari, quando ipſi in mutuam cœdem conſpirant homines? Motus terræ in Calabria; bellorum motus in altero Italię margine ad radices Alpium, in Gallia, in Belgio, in Hiſpania, in Germania. Bellum exarſit fœderatis hinc, inde militibus toti pœne Europæ gentile. Albent etiamnum inſepultis oſſibus campi, ſyluęque vaſtiſſimę: nec ſemel humano ſanguine decolores Eridanus, Danubiuſque fluxere. Hę inter Chriſtianos Principes diſcordię, Ampliſsime Cardinalis, Sanctiſſimi Patrui animum cura torquent: corpus etiam interdum morbo pertentant. Sed profectò ea eſt humanarum rerum conditio, vt nunquam ſine ſuis ſit motibus orbis terrarum: & planè admirabilis eſt illa felicitas, cui ipſaſmet ęrumnas fortunat Deus. Enimuerò, ſi penſiculatius expendatur textura temporum, non deſunt Vrbani faſtis vrbaniſsimi rerum euentus, & admirabilis quædam proſperis aduerſa temperans, non tam viciſsitudo quàm dulcedo fortunæ. Quippe, vt egregiè Chryſoſtomus, *Miſericors Deus mœſtis rebus quædam etiam iucunda permiſcet*. Quod certè in Sanctis

Hugo Card. in Pſal. 21.

Lucæ 21.

Chryſoſt. ho. 8 in Matth.

ctis omnibus facit: quos neque ærumnas, neque iucunditates ſint habere continuas. Sed tum ex aduerſis, tum e proſperis iuſtorum vitam admirabili varietate contexit. Numerabitur ſanè inter Chriſtianæ reipublicæ calamitates, quod ſuperioribus annis Suecorum Rex Guſtauus ab vlteriore Danubij ripa, ex abditiſſimis Boreæ latibulis, Germaniæ, atque Italiæ perniciem meditatus eruperit. Verùm quidni inter proſpera recenſendum, quod idem in medio ſecundioris fortunæ curſu protritus, atque extinctus ceciderit, ea planè pugna victus, qua vicerat. Multæ ab hæreticis captæ vrbes, atque ab adhuc ſpirantibus, execto capite, Suecorum reliquijs infeſtata Germania, infortunium profectò temporum fuit. At Vrbani tribuet felicitati poſteritas, quod pleræque vrbes receptæ; quod magna Palatinatus pars ad auitam religionem traducta; quod Gallia vniuerſa, pulſo è centum impietatis arcibus hæretico milite, aureis candorem lilijs, aurea ſub Ape, reddiderit. Infauſtum, quod Italia toties bello appetita, toties pacata, nouas ſemper è ſcintilla flammas exciuerit. Fauſtiſſimum, quod in tanto rerum turbine, armorum immunis Roma, Metaurum Tyberi, Vrbinatem ditionem Vrbano, ne vno quidem euaginato enſe ſubiecerit. Deflebitur poſteris, quod peſtilentia Siciliam, vtrãque Galliam, atque Hetruriam afflixerit; tanta clade, vt inter tot orbitates vrbium, toti pæne Italiæ vaſtitas timeretur. At iidem gratulabuntur Vrbano, quod inter commercia omnium gentium prorſus incolumis Roma perſtiterit. Felix in hoc minùs ſub magno Gregorio, quàm ſub Vrbano. nam ille iam deſæuientem in vrbe luem precibus depulit, hic vel acceſſu prohibuit. Memoriæ prodent hiſtorici, ſub Vrbani tiara ſemel arſiſſe Campaniam: cum terrore latiùs dato, quam damno, multas Italiæ vrbes, ex vno effuſa monte, cinerea tempeſtas afflauit. Sed omnis conſequentium ſeculorum ætas mirabitur, quod in remotiſſimas regiones è Veſuuiano cinis egeſtus incendio, vrbis ſub Vrbano maieſtatem reueritus, Romæ fines non attigit, nè fœdaret caput orbis terrarũ: nunc etiam inter tot bellorum, terræque motus planè incõcuſſum. Denique, quod Vrbano Pontifice Thraces Perſico bello impliciti Pannoniam acie, maria claſſibus infeſtare

non

non auſi: quod cum Moſchis Poloni conditionibus honeſtiſſimis, quæ maximè ad religionem conducerent, pacem, fœduſque ſanxerint: quod armis vndequaque ſtrepentibus, tanta inter diſcordes concordia, Ferdinandus alter paternæ, & fortunæ, & pietatis hæres ad imperium adſcitus: quod Romæ Adriani moles nouo ſit, eoque firmiſsimo propugnaculo communita: quod armamentarium ad apparandos exercitus magnificentiſsimè in Vaticano excitatum: quod in Centum Cellis portus extructus, iuſtæ claſſi fidiſsima ſtatio, atque omnium gentium commeatui peruia; quò acceſſum vel prohibent, vel admittunt aquæ, nouo prodigio, catenatæ: quod in Bononiæ finibus arx Vrbania erecta, aduerſus Barbaros munimentum vrbis eò tutius, quo remotius: quod inter tumultus bellicos pacis curæ non prætermiſſæ: quod religioſi viri ſanctiſsimis legibus inſtructi: quod Epiſcopi in ſuis ſedibus fructuosè detenti: quod Cardinales ad Eminentiſſimi agnomen euecti: tantum denique clementiæ, tantum comitatis, & modeſtiæ ſpecimen in tanta perennitate imperij, non parua erunt Vrbano magnarum laudum compendia. Cæterùm imponet ſupremum felicitati culmen quies publica: quam Vrbani votis, curiſque deſpondent Dei benignitas pietas Regum, populorum ærumnæ, piorum preces, ipſæmet denique temporum inclinationes, ac vices. Apum profectò erit regnantium, inter aculeata bellis tempora, ore melleam pacem moliri. Hæc occaſione noui in vniuerſa Calabria terræmotus, longiùs quàm poſcebat epiſtola, breuiùs pro clade.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERVM MEMORABILIVM, DE VESVVIANO INCENDIO.

A

AEtites lapis, Aquilæ nido inædificatus, nibil igne deperdit. p. 69. Empedoclem hiatu cōdidit. 46.

Aetna mons torrētes igneos emitit. p 26. Inferorum oſtium à multis exiſtimatur. 39. claudendū extremo Mūdi die. Ibi.

Aetnei incendij, quo mare ferbuit, mētio apud Auguſt 26.

Aetnei incendij cauſa. 63.

Agatba velo Catanenſes Aetnæ igneos torrentes arcent. 29.

Alexandri ortus ſub Dianæ Ephesinæ incendium. 69.

Altitudo nubis cinereæ primo die inbalatæ. 56.

Angeli tutelaris mira erga clitem prouidentia. 22.

Antonius Patauinus vir Sanctiſſimus dux cuidam ad viſenda loca pœnarum. 42.

Apbrica cur terramotibus parum ſubiaceat. 78.

Aquarum inundatio vnà cum igne. 29 & deinceps.

Aqua Tbaleti rerum principiū. 67 Sponſis præferebatur. Ibidem.

Aqua & igni cur exulibus interdictum. Ibid.

Aquarū inundationes poſt terramotus. 67. 81. 82.

Aquæ puteales terramotus prænunciant. 82.

Aqua ignis accenditur. 26. 27. 63.

Arborum ex incendio miracula. 55.

Arenæ pluuia. 12. 27. 62.

Arena Veſuuiana fertilitatem affert. 68.

Argentum pluuium inter cineres. 14 65. Aurum Ibid.

Aſphalites lacus bitumen emittens. 63.

Aſtrologi cauſas incendij ad ſiderū congreſſus referunt. 83.

Aſtrologi cauſas terræmotus ad ſyderum congreſſus reuocāt. pag. 72.

Aſtrologorum omina de ijs, quæ euentura ſunt poſt incendiū. pag. 69.

Aſtrorum aſpectus ſub incendium Veſuuianum. Ibid.

Aſtrum, quo bella afflantur, amor dominandi. 69.

Aurum cur Natura in fodinis abſconderit. 73.

Bero-

B

Beroſi antiquitatum liber ſuſpectæ fidei. 53.
Bitumen ardet inter aquas. 28.
Bitumine ſaxa eliquantur, mollia lapideſcunt. 56. 65.
Bizantiū cinis Veſuuianus nube delatus. 11. 32. 49.

C

Cardinalis Archiepiſcopi in communi periculo ſingularis pietas, & induſtria. pag. 32. 36.
Ceraunia gemma enaſcitur ictu fulminis. 67.
Ceſtia mons flagrat in Media, Chimara in Lycia. 58.
Chriſti aduentus per terræmotum ſignificatus. 81.
Chriſti natali die templum Romæ corruit. Ibid.
Chriſti nomen terræmotus arcet. 84.
In Chriſti Paſſione cur terræmotus. 82. *cur itidem in Reſurrectione.*
Cinerea pluuia. 11. *& deinc.*
Cinerei turbines. 23. *& deinceps.*
Cinere fœcundari campos, qui autument. 68.

D

Dæmones viſi dicuntur ſub ſpecie Aethiopum. 39. *rheda vecti per montem.* 59. *equitatu etiā curſitantes. Ib.*
Deo vindice immittitur incendia. 38.
Deo vindice terræmotus exiſtūt. pag. 81.
Dei maieſtas fumo, & terræmotus adumbrata. 81. 82.
Deus igneus apud Platones. 67.
Dedonæus fons faces accendit. pag. 26.

E

Eucharistiæ aſpectus nubem cinerem fugat. 14.

F

Filij inſignis in parentem pietas. 23.
Flumina quomodo gignantur in montibus. 81.
Fluminum ortus poſt terræmotus. 67. 81.
Fons aqua & igni manans. 26.
Fulmina quomodo creentur in nubibus. 61.

G

Gallia terræmotibus parum obnoxia. 78.
Gehenna oſtia montes ignivomi. 37.
Gehenna ſupplicia cuidam intra Veſuuium oſtenſa. 42. *deinceps.*
Germani crebris terræmotibus non ſubiacet. 78.
Gigantes viſi ſub incendiū. 42.
Gigantum ſedis, Veſuuius. 45. 72.
Guaimari Salerni Principis infelix mors. 40. 51.

H

Hecla & Helga flagrant in Iſlandia. 59. *Apparent*

vent in Hecla mortuorum ſpiritus. 38.
Herculani excidium. 18. & *deinceps.*
Hiſpania terræmotibus immunis. 78.

I

IAnuarius incendium extinxit toti Europæ formidandũ pag. 12. 32. 49. *eiuſdem ſanguis ſponte colliquefactus ſub incendium.* 31. *delatus ad aſpectum montis nubem cineream fugat.* 32. *eiuſdem patrocinio Vrbs Neapolis ab incendio indemnis.* 31. 33. 33
Ignatij ad Deum conuerſio terræmotu nobilitata. 82.
Ignis, rerum principium, ſacer Perſis, ac Lycijs. Præferebatur ſponſis. Portendit imperia. 67. *Belli præſagium.* p. 68. *Omen victoriæ* 69.
Igne ſolus homo vtitur. 67. *igne mortales cœperunt conuiuere. Ibid.*
Igne Cerauniæ gẽmæ deferunt. Ibid.
Igne à Deo lata eſt lex. Ibid.
Igneæ naturæ Deus Platoni. Ibidem.
Ignes ſubterranei. 58. *ignis ardens inter aquas.* 26. 63. 26. 63. 63. *pluuijs inardeſcens, fano vel cœno extinguitur. Ibidem.*
Ignis fugientes ſequens. 24. *in Naphtham tranſiliens.* p. 63.
Ignis non præbebat lucem Aegyptijs. 80.
Igne nihil deperdit Aetites. 69.
Incẽdij cum terræmotu cognatio. 64. 77. 78.
Incendium Alexandro portendit imperium. 69.
Incendij auertendi cauſa parietes conſcribebantur. 85.
S. Ioſeph cõmendatum ſibi puerulum, ex incendio admirabiliter eripit. 19.
Ioannis, Neapolitanæ vrbis Ducis mors miſerabilis. 40. 50.
Italia crebris terræmotibus curſubiaceat. 78.

L

LApidum pluuia. 15. & *deinceps.*
Lapis ſpecularis pluuius. 65.
Lapideſcentia ex bitumine. 56. 65.
Lapideſcentia in flumine Silari. pag. 56.
Linum in ſtagno Samoſatæ ardens. 26.

M

MAre ſub incendium deſtituit littora. 26. 27.
S. Mariæ imago ab igne propugnaculum. 21. *templa inter flammas indemnia.* 21. 22. *patrocinium Pompeianis ſalutem peperit.* 20.
Martyrum ſanguine Gehennæ ignes ſopiuntur. 33.
Montes perpetuò flagrantes. pag. 59.

Naphtha

N

NAphtha ignem trahit. 61.
S. Nicolai liquor nubem cineream diſijcit. 12.
Neapolis ſitus & deſcriptio. 45. Cur damni parum accipiat à terremotibus. 79.

O

OLympus mons ardet in Aethiopia. 59.

P

PAndulphi, Capuæ Principis, miſeranda mors. 39. 50. 52.
Piſcium pluuia. 65.
Plinio mors ex incendio. 49. 53.
Pompeiorum excidium. 19. 21.
Proregis in præſenti clade prouidentia, & religio. 35. 36.

S

SOnus Veſuuij auditus vltra Adriaticum. 15. & deinceps.
Supplicationes per vrbem. 36.

T

TErræmotus crebri ſub initium incendij. 7. vnde ortum duxerint. 9. 70. cur poſtea inſtaurati. 78.
Terræmotuum cauſa. p. 10. 61. 64. 72. & deinceps, Signa 82. & deinceps effugia. 8. 9. 84. Quæ loca ijs obnoxia. 79. Quæ tempora. 78. 75.
Torrens igneus è Veſuuio 16. ex Aetna. 30.
Tonitrus quomodo edatur è nubibus. 60.

V

VAcuum admirabili aquarum attractione vitatum
Veſuuij nomen. 54. 50 ſitus 44. & deinceps. vbertas. 47. 57. amœnitas. 62. vina, 52. incendia ante Chriſtum. 49. & deinceps. Incendia poſt Chriſtum. 50. & deinceps Incendij poſtremi cum cæteris collatio. 59. & deinceps Incendiorum cauſa. 59. & deinceps.

Z

ZOroaſter igne abſumptus. pag. 67.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM, DE TERRAEMOTV CALABRIAE.

A

ACheron fluuius vbi. 133. Acheruntini. qui ibidem.
Aegyptus cur terræ motibus non obnoxia. 116.
AEnaria terræmotu iactata. pag. 116.
AEoliæ inſulæ quæ. 117.
Aer in tres regiones à Meteoriſtis diſtributus. 113.
Aeris ſuprema regio calida, media frigida. ibid.
Alaricus Gothorum Rex, vbi cum theſauris ſepultus. 131.
Alexander Epirotarum Rex vbi cæſus. p.132.
Alis fluuius prope Catacium. ibid.
Altomontani agri felicitas. 136.
Angeli tutelaris inſigne in duorum ſalute patrocinium. pag. 112.
Angelorum concentus, obſtrepente terræmotu. 121.
Angitula fluuij deſcriptio. p.132
Antiochia terræmotus ſub Traiano. 94. 98.
Apoſtoli cur duodecim electi ad ſtructuram Eccleſiæ. 123.
Aqua putealis malè olens terræmotus indicium. 118.
Aquæ ſponte aſſurgentes terræmotus prænunciæ. ibid.
Aquæ poſt terræmotus erumpūt. 99. 115.
Aquæ halitibus immixtæ rubeſcunt. 118.
Archiepiſcopi Rhegini funus terræmotu condecoratum. 104.
Armamentarium ab Vrbano Octauo inſtructum in Vaticano. 141.
Aſia duodecim vrbes vno terræmotu dirutæ. 123.
Aſtrologorum mores, & genium pag. 119.
Auri, Argentique foſſilis in Calabria venæ. 136.

B

BArbaræ Teleſiæ pietas memoranda. 89.
Benincaſa præſagium. 110.
Beſidia quid paſſa. 95. & 125.
Beſidiani equipares Theſſalis. pag. 134.
Bizantij terræmotus ſub Leone Iſaurico. 121.
Bizantij terræmotus ſub Theodoſio. ibid.

S. Blaſij beneficio terramotus Maratea innocuus. 109.
Bretius Herculis filius Conſentia conditor. 128.
Brettania dicebatur, quæ nunc Calabria. ibid.
Brutij vnde dicti. ibid.
Buſenti fluuij deſcriptio. 132.
Buſentus nigrum capillis colorem afflat. ibid.

C

Calabria vnde dicta. 127.
Calabriæ ſitus, magnitudo, deſcriptio. ibid.
Calabria cur magna Græcia appellata. 131.
Calabriæ vrbes plereque à Græcis ædificatæ. ibid. & 130.
Calabriæ amœnitas, & vbertas. ibid. & deinceps.
Calabria cur terramotibus obnoxia. 116. 117. & deinceps.
Calabriæ fluuij. 131. 132. 132.
Calabriæ viri illuſtres. 130.
Cappuccinorũ Patrum poſt terremotum pietas. 93.
Caſtilionis ruina. 96.
Catacij vrbs cur fideliſſimæ appelatione donata. 99.
Catacium terramotibus obnoxium. ibid.
Catacium quid in hoc terramotu dãni ſenſerit. 99. 100. 125.
Cerilli oppidũ in Calabria. 134
Chriſti iudicis in improbos indignatio. 120.
In Chriſti paſſione cur terramotus vniuerſalis. 122.
Cleta ſedes Amazonum. 96.
Cleta Regina nomen oppido fecit. ibid.
Cometa ex qua materia gignatur. 113.
Conſentiæ inſignia cur ſeptem colles. 89.
Conſentia olim Hiſpanorum Proregum regia. ibid.
Conſentiæ quanta ex hoc terræmotu clades. 89. & deinceps 125.
Conſentiæ qui poſt terræmotum motus animorũ. 92. & deinc.
Conſentiæ pagi qui ex terramotu diruti. 94. 95.
Coralia vbi naſcantur. 135.
Cratis Fluuij deſcriptio. 131. flauum afflat colorem. ibid.
Cryſtalla vbi gignantur. 135.
Croto à Græcis conſtructa. 129. ſedes virorum illuſtriũ. 130.
Cyprus terramotu iactata. 116.

D

Deo vindice terramotus exiſtunt. 119 & deinc.
Dei inuocatio in terramotibus quæ adhibenda. 121.
Dijs Romani ferias indicebant, terramotu nunciato. 119.
Dæmonem humana efficie vagari dictitatum. 119.
S. Dominici beneficio Sorianum indemne. 105.

S. Dy-

S. Dydimus oculis captus ſapiëtia lyncea. 123.
Ducis Medinæ Neapolit. Proregis prouidentia. 137.

E

S. EVſemia oppidi clades. 105 106. & deinceps.
Epiſcopi omnes ſeruati. 103.
Epiſcopi Murgantini calamitas. pag. 95.
Euboea terramotibus obnoxia. pag. 116.
Europa Iſthmus in Calabria. 88

F

FAx ardens quomodo gignatur in aere. 112 & deinc.
Fluuiorũ ortus ex terramotu. pag. 99.
Fluuij in Calabria qui. 89. & deinceps.
S. Franciſci Xauerij ſingulare in terramotu patrocinium. 104.
S. Franciſci Minimorum inſtitutoris cũ Thaumaturgo collatio. 130.
Fulgura quomodo gignãtur. 113

G

GArzia Toleti ex gemina calamitate felicitas. 99.
Gothorum theſauri ſub Buſento ſepulti. 132. & deinc.

H

HEctor Latrus miſſus ad reparanda damna, 139.
Helleſpontus terramotibus ſubiacet. 117.
Hercules Crotonis conditor. 99
Herculeum promontorium in Calabria: ibidem.
Hipponij ruina. 105. amanitas. pag. 132.
Hiſpania ex terramotu diſciſſa ab Africa. 115.

I

S. IAnuarij ſanguis ſponte eliquatus calamitatum præſagium. 112.
Ignis fatuus quomodo gignatur. pag. 113.
Ignes ſubterranei cauſa terramotuum. 117. 118.
Infans repertus ſugens ubera matris mortuæ. 98.
Inſula terramotibus cur obnoxia. pag. 116.
Ioanna Regina nudis pedibus tẽ. pla obiuit. 110.
Italiæ longitudo. 116. Iſthmus in Calabria. ibid.
Iubilei ab Vrbano Octauo indicti opportunitas. 102. 103.

L

LAmetia antiqua quæ. 105. 132.

K 2 La-

Lameti fluuij deſcriptio. 132.
viſus hic ſanguine currere. *pag*. 102.
Lametus fluuius ex terramotu retro actus. 124.
Laura Aquinas terramotu obruta, & educta. 102.
Locrorum conditores Græci. pag. 129.
Lucania terramotu iactata. 108.
Luconus fluuius. 108.

M

MAnna quomodo, & vbi gignatur. 135.
Marchesites lapis vbi gignatur. ibid.
S. *Mariæ Virginis in terramotu patrocinium*. 120.
Maris inundationes terramotus comites. 115.
Mare ſponte efferueſcens terramotus prænunciat. 106. & 39.
Maris ſalſedo vnde oriatur. 115
Meſſana ciues Deipara Epiſtola glorianiur. 107.
Meſſana Archiepiſcopale templũ ex terramotu quidpaſſũ. ibi.
Medamæ clades. 104.
Mileti calamitas. ibid.
Milo Crotoniates virium quam immanium. 129.
Montes in Chriſti Paſſione cur ſciſſi. 123.
Montana loca terramotibus obnoxia. 116.
Murgantiæ ruina. 95.

N

NApitiæ clades. 105.
Neapolim terræmotus peruaſit. 107. & 125.
Neapolitani maris inundatio à Petraca deſcripta. 110.
Neritũ terramotu iactatũ. 122.
Nicaſtri ruina. 100. 101. & 118
S. *Nilus Abbas Calabriæ ornamentum*. 130.
in Nuceriano agro grando immanis. 126.

P

PAlma aculeata iuſtitiæ ſymbolum. 138.
Palmarum Sabbato cur congeminati terramotus. ibid.
Pandoſia antiqua vbi. 96.
Panormi circa terramotus initia, leuis inundatio. 108.
Patycos oppidum terramotu iactatum. 95. & 125.
S. *Paulini obitus terramotu celebris*. 104.
Petiliæ condita à Philocteta. 129
Petri Pauli Saſſonij irritũ vaticinium. 109. & deinceps.
Peſtilentia ex terramotu. 128.
Pluuia ſanguinea quomodo fiãt pag. 118.
Picis copia in Calabria. 131.
Principis Caſtilionis ſubita ex terramotu mors. 102.
Principis S. Mangi inopinata incolumitas. pag. 103.
Pytha-

Pythagoras in Italiam Philoſophiaam inuexit. 129.

Q

QVadrageſimales ieiunij ritus ab Angelis probatus pag. 112.

R

RHegiū quis condiderit. 128.
Rhegiū quomodo à Sicilia diſciſſum. 104. & 129.
Rhegiū terramotu iactatū. ibid.
Roblani ruina. 95.

S

SAccara vbi, & quomodo fiat. p. 129.
Salis montes in Calabria. 127.
Salis flumina apud Caſpios. ibi.
Salis ſtatua reperta apud Noricos. ibid.
Sciliani clades. 88. & 97.
Scylletiū ab Vliſſe conditū 129.
Sericū vbi, & quomodo fiat 135.
Soriani Comes ob venationem indemnis. 103.
Sila montis deſcriptio. 130. 131.
Sybaris à Sagari Aiacis filio cōdita. 129.
Sybaritarū præcox felicitas. ibi.
Sybaris fons in Grecia, fluuius in Calabria. 132.
Spiritus quomodo terramotum efficiant. 112. & *deinc.*
Stellæ cadentes quomodo gignūtur in aere. ibid.

T

TArentum terramotu concuſſum. 108.
Terinæ calamitas. 95.
Terramotuum cauſæ effectrices 113. & *deinceps.*
Terramotuum præſagia. 118.
Terræmotus tranquillitate fiūt. 113. & 114.
Terramotibus quæ loca ſint magis obnoxia. 116. 117.
Terræmotus quis omnium memoria maximus. 123.
Terræmotus vnus ad quot milliaria poſſit extendi. 124.
Terramotuū diuturnitas quanta. 126.
Thurij clades. 96.
Thymni vbi, & quomodo capiūtur. 135.
Tonitrus quomodo fiant. 113.
Triſchene cur nunc Taberna p. 129.
Tropiana terræmotu iactata. 104. 105. & 106.

V

VAporum cauſa, & effecta. 113.
Venti quomodo gignantur. ibi,
Veſuuius exarſit graſſante terramotu. 109. & 116.
ex Vibonis voragine fumus ſulphu-

phureus. 118.
Vina Calabra quæ habeantur in pretio. 134.
Vrbania arx in Bononiæ finibus. 140.
Vrbani Octaui Christianum clauum inter tot motus moderantis ex prudentia felicitas. 140.

ERRATA CORRIGE.

Pag.	*lin.*	*Errata*	*Corrige*
8	8	Admouemur	Admonemur
ibid.	25	Caſtramentatis	Caſtrametatis
11	30	tranſuolaſſe	tranſuoleſſe
ibid.	34	numerebamus	numerabamus
12	28	moralium	mortalium
13	1	fuligine	fuligine
ibid.	4	par eutaturi	parentaturi
ibid.	24	pateant	parebant
ibid.	36	ciuis	cinis
15	6	contigerit	contingerit
15	38	mouiſſent	mouiſſent
18	38	veſtigio	veſtigio
23	16	cbſtinate	obſtinate
ibid.	32	reſerunt	referunt
30	10	continenti	continenti
33	34	ignes	ignes
34	22	ſueclamantes	ſucclamantes
38	37	Vulcono	Vulcano
39	6	mortaliam	mortalium
51	27	Caſinenſis	Caſſinenſis
54	18	ſeruilis	ſeruili
54	38	Phlegreos	Phlegræos
56	5	erupto	eruptio
56	21	eum	cum
56	29	induerant	induerat
59	13	incendiarum	incendiorum
60	6	Amproſius	Ambroſius
60	17	perpetuum	perpetuam
61	14	ſulphoris	ſulphuris
61	19	elepſa	elapſa
63	15	olentibos	olentibus
64	32	ſpiritas	ſpiritus
67	10	erupuiſſe	erupiſſe
67	19	ingne	igne
68	6	ſicare	ſiccare
73	2	hortum	ortum
77	34	ſluiſſe	fluiſſe
78	26	moripus	moribus
79	24	erem	aerem
81	4	traddxit	traduxit
82	11	exine	exinde
82	37	artapano	Artabano
86	10	Prouinciali	Prouincialis
86	18	qus	quos
86	ibid.	ſpecta	ſpectat
97	19	perinlo	periculo
111	3	tritem	triremum
114	vlt.	ſpiritos	ſpiritus
117	21	oriquem	originem
ibid.	36. 37	Aeoliis Vulcanis	AEolias vulcanias
119	16	incendij	incendij
119	25	iperium	imperium
120	1	concotiuntur	concutiuntur
121	10	nautum	natum
122	11	exigitium	exitium
122	24	internicione	internecione
122	28	poena	poene
127	1	egetem	ſegetem
129	27	quae	qua
132	17	voluntatur	volutatur
134	20	parciós	parcius.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

REST. LIBRO ANTICO
Cav. Giovanni D' Giacomo
Tel. 71550 - PESCARA
1975